

GRAMMATICA LATINA PHILIPPI MELANTHONIS,

AB AUCTORE ANNO 1526. AUCTA ET RECOGNITA.

DE GRAMMATICA.

Grammatica est certa loquendi et scribendi ratio. Nisi enim Grammatica discernat voces, et ostendat certam quandam rationem componendarum vocum, quomodo intelligemus, quod quomodocunque consutis verbis effertur? ut, Petrus percussit Fabius, nihil certi sonat. Ita si promiscue scribas, Vallo et Fallo, confundentur legentium animi. Est ergo inventa grammatica, quae certius loquendi et scribendi artificium sit. Nomen *γραμματική* literaturam significat ¹⁾).

Partes Grammatices.

Orthographia, quae docet recte scribere, ut Vallo per v, et Fallo per f, ab *ὀρθῶς* recte, et *γράφω* scribo.

Prosodia, quae docet accentus, ut libere, libère. *προσῳδία*, latine accentus.

Etymologia, quae discrimina casuum in dictionibus tradit, fortis, fortiter, lego, legis. *ἔτυμολογίαν* Cicero vertit veriloquium, eo quod dictionum proprietatem tradat. Quanquam enim eadem significant, bonus et boni, tamen alia est in alio casu proprietas *ἔτυμον* verum, rectum, certum, ab *ἔτερον*, quod ab *ἐμὶ* deducunt, et *λόγος* sermo.

Syntaxis, quae constructionem vocum docet, adeoque orationem contexit, *συντάττω* ordino ²⁾).

Orthographia literarum rationem continet.

Litterae tres et viginti sunt.

A b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z.

In his Graecae sunt k et y et z.

h aspiratio est.

1) quae certius — significat] sic Editt. 1526., 1529.; Editt. 1546. et s. a.: ut teneamus certum artificium loquendi et scribendi. Nomen *γραμματική* proprie significat Germanis Schreibkunst, habet enim nomen a primis artis inittis, videlicet a literis. Nam *γράμμα* significat idem quod litera.

2) quae constructionem — ordino.] sic Editt. 1526., 1529.; Editt. 1546. et s. a.: est ratio coniungendarum vocum seu faciendae orationis, a *συντάττω*, quod significat ordino.

Vocales.

a			
e	Ex his conflantur diphthongi	}	ae Musae
i			oe Foelix
o			au Audio
u			eu Eurus.

Et antiqua ei, ut parteis, omneis. Cuius usus est in accusativis declinationis tertiae nominum, quae duabus consonantibus exeunt. *Διφθογγος*, id est, geminus sonus unius syllabae, ut apparet in au, eu ³⁾). Nam et ae et oe veteres aliter pronuntiabant, quam nunc pronuntiari solent.

Consonantes.

Sunt reliquae litterae praeter vocales.

Ex his aliae sunt Mutae, b c d f g k p q t.

Aliae Semivocales, l m n r s x z.

Aliae ⁴⁾) Liquidae, l m n r. Sic dicuntur, quod in brevi syllaba nonnunquam liquescant, ut extendatur syllaba, tenebrae, tenēbrae. Caetera docebit usus, artium magister. Est autem accurate cavendum, ne in scribendo negligent orthographiae rationem ⁵⁾) pueri, quod expeditius legantur et intelligantur, quae probe scripta sunt.

DE ETYMOLOGIA.

ἔτυμολογία, id est, proprietates dictionis, docet enim ⁶⁾) discrimina casuum in dictionibus. Non enim eadem est harum vocum significatio prorsus: Virgilius et Virgilium, scribo et scripsi.

Partes orationis
octo sunt.

Nomen, Pronomen, Verbum, Adverbium, Participium, Coniunctio, Praepositio, Interiectio.

Nomen est pars orationis, quae rem significat, non actionem ⁷⁾).

3) in au, eu.] Ed. 1546.: in au et eu; Ed. s. a.: in au et in eu.

4) Aliae] in Editt. 1546., s. a. deest.

5) orthographiae rationem] Editt. 1546., s. a.: orthographiam.

6) enim] in Editt. 1546., s. a. deest.

7) actionem] Editt. 1546., s. a.: agere aliquid, aut pati.

Nomen duplex est. }
 Proprium
 Appellativum quod est multis commune.
 Substantivum, cui non potest addi, **Man, Weib, Ding**, ut **campus**.
 Adiectivum, cui addi potest, **Man, Weib, Ding**, ut **albus vir, alba mulier, album pecus**.

Nomini accidunt: Comparatio, Genus, Numerus⁸⁾, Figura, Casus, Declinatio.

De Comparatione.

Comparantur nomina, quorum significatio augeri minui potest.

Gradus comparationis sunt, Positivus, Comparativus et Superlativus.

Positivus prima vox adiectivi est, **Bonus, Albus, Candidus**.

Comparativus, qui supra positivi significationem magis significat. Terminationes sunt Masculina et Foemina or, Neutra us.

Regulae.

Comparativus fit regulariter a positivi casu in i, ut,

Candidi candidior	Foelici foelicio
Eruditi eruditior	Prudenti prudentior
Forti fortior	Nigri nigrior
Amici amicior	Pudici⁹⁾ pudicio
Spurci⁹⁾ spurcior	Salubri salubrior
	Deteri deterior¹⁰⁾

Exceptio.

Quae habent vocalem ante us vel is, non formant comparativos iuxta regulam supra positam, sed comparativus describitur, adiecta voce, magis, ad positivum.

Pius	magis pius
Idoneus	magis idoneus
Strenuus	magis strenuus
Tenuis	magis tenuis

Invenies tamen usurpari saepe tenuior.

8) Numerus,] sic Editt. 1546., s. a.; in Editt. 1526., 1529. deest.

9) Spurci . . . Pudici] sic Editt. 1546., s. a.; Editt. 1526., 1529. Spurus . . . Pudicus

10) Deteri deterior.] sic Editt. 1526., 1529.; Editt. 1546., s. a. pro hoc exemplo habent haecce: Quidam indocti in his Comparativis amicior, pudicio, addunt syllabam, pronuntiant enim amicitor, pudicitor. Id fit contra rationem et usum veterum.

Superlativus, qui valde significat supra positivi significationem.

Terminationes¹¹⁾ }
Rimus
Simus
Limus.

Regulae.

I.

Quae r finiunt, superlativos faciunt, adiecta rimus.

Acer acerrimus	Ater aterrimus
Teter teterrimus	Niger nigerrimus
Saluber saluberrimus	Pulcher pulcherrimus.

II.

Quae aliter finiunt, superlativum faciunt, adiecta s et simus ad positivi casum i desinentem.

Prudenti	prudenssimus
Candidi	candidissimus
Docti	doctissimus
Foelici	foelicissimus.

III.

Limus finiunt haec tantum:

Humilis	humilimus
Facilis	facilimus
Gracilis	gracilimus
Similis	similimus
Agilis	agilimus.

Poetae geminant l. Rara avis in terris nigroque simillima cygno.

Irregularis Comparatio.

Veniunt gradus a Praepositionibus.

1 Extra	exterior	extimus extremus usitatus
2 Intra	interior	intimus
3 Ultra	ulterior	ultimus
4 Citra	citerior	citimus
5 Supra	superior	supremus et summus
6 Infra	inferior	infimus
7 Post	posterior	postremus
8 Prope	propior	proximus
9 Ante	anterior.	

Sunt et haec anomala:

Bonus	melior	optimus
Malus	peior	pessimus

11) Terminationes] Editt. 1546., s. a. Terminationes habet.

Magnus	maior	maximus
Parvus	minor	minimus
Multus		plurimus
Multa		plurima
Multum	plus	plurimum.

Plurali numero tamen masculinum et foemini-
num usurpatur, plures.

Dexter dextimus.

A volo dico, et facio, sic comparantur:

Benevolus	benevolentior	benevolentissimus
Maledicus	maledicentior	maledicentissimus
Magnificus	magnificentior	magnificentissimus.

Vetus, veterior, veterrimus. Nam olim veter
dicebant.

Nuper nuperrimus.

Prior, primus, a pridem fecit Priscianus¹²⁾.

Quaedam adiectiva bifariam finiunt in po-
sitivis, er vel is. Sunt autem:

hic	Acer	acrior	acerrimus
haec	Acris	acrior	acerrima
hoc	Acre	acrius	acerrimum
hic	Alacer	hic	Celeber
haec	Alacris	haec	Celebris
hoc	Alacre	hoc	Celebre
hic	Saluber	hic	Volucer
haec	Salubris	haec	Volucris
hoc	Salubre	hoc	Volucre.

Eiusmodi sunt et

Celer, Paluster, Campester, Sylvester, Eque-
ster, Sequester, Pedester.

Mutantur et sic:

hic acris	hic salubris
haec acris	haec salubris
hoc acre	hoc salubre
hic alacris	hic volucris
haec alacris	haec volucris
hoc alacre	hoc volucre.

Caeterum in comparando observabis, quid
probet usus et eruditorum autoritas. Non enim
omnia nomina comparari possunt, tametsi nihil
vetet significatio, sed quia usus eorum compara-
tionem non probavit, ut almus, et quae bundus
fniunt, ut sitibundus, moribundus.

De Genere.

Genera sunt

Masculinum, cuius nota est articulus hic.

Foemininum, haec.

Neutrum, hoc¹³⁾.

Commune, hic et haec.

Omne, hic, haec, hoc.

¹³⁾ *Ἐπίκοινον* seu promiscuum, cum uno articulo
duo genera complectimur, ut hic passer, haec
aquila.

Dubium, cum autores variaverunt de vocis
alicius genere, ut hic dies, vel haec dies.

Regulae generales.

I.

Virorum, officiorum virilium, mensium,
ventorum, et fluviorum nomina, sunt generis
masculini.

Virorum nomina:

Hic Virgilius. Hic Carolus.

Officiorum:

Consul. Praetor.

Mensium:

Ianuarius, Ienner, a Iano, cui erant rerum
principia dicata.

Februarius, Hornung, a Februis, id est,
sacrificiis.

Martius, a Marte, Mertz.

Aprilis, April, quod aperiat terram.

Maius, May, a Maia, Mercurii matre, tum
enim Pleiades prodeunt.

Iunius, Brachmon, a Iunone.

Iulius, Heumon, a Iulio Caesare, antea
Quintilis fuerat dictus, quod quintus esset a Mar-
tio, qui quondam fuit anni initium, erantque
tum decem tantum menses¹⁴⁾.

Augustus, Augstmon, ab Augusto Caesare,
quondam Sextilis.

September, Herbstmon, id est, septimus im-
ber, id est, tempestas. Est enim septimus mensis
a Martio, qui quondam auspicabatur annum.

October, Octavus imber, Weinmon.

November, Nonus imber, Wintermon.

December, Decimus imber, Christmon.

12) Editt. 1546., s. a. h. l. addunt: Est et comparativus
deterior, et superlativus deterrimus, quorum positivus de-
ter non est in usu.

13) Neutrum, hoc] in Ed. 1526. desunt.

14) erantque — menses.] Editt. 1546., s. a. horum loco ha-
bent: more Aegyptiorum, qui a vere inchoant annum.

Ventorum:

Eurus	ab ortu
Zephyrus	ab occasu
Auster	a meridie
Aquilo	a septentrione.

Fluviorum:

Rhenus Danubius Albis ¹⁵⁾.

In quibusdam variat usus, ut, Albula pota deo, apud Ovidium [Fast. IV, 68.].

Item Allia, Styx, Lethe, foeminina.

II.

Mulierum, muliebrium officiorum, urbium et arborum nomina, sunt generis foeminini.

Mulierum, ut Lucretia, Carmenta.

Officiorum muliebrium, ut Obstetrix.

Urbium, ut Roma, Noriberga.

Arborum, ut pirus, pomus, ficus.

Exceptio.

Urbium nomina, quae um aut ur finiunt, sunt generis neutri, ut Comum, Tibur.

Sunt et arborum quaedam masculina:

Oleaster, Rubus, Dumus, Frutex. Siler neutrum est. Caetera usus auctorum ¹⁶⁾ docebit.

Degenerant et in genus foemininum *κατὰ σύνθεσιν* fabularum nomina, tametsi alioqui masculina, ut apud Terentium [Eunuch. Prolog. 32.]: In Eunuchum suam ¹⁷⁾.

III.

Fructuum nomina generis neutri sunt.

Pomum Pirum.

Ficus arbor foemininum est tantum, secundae et quartae declinationis.

Ficus fructus, masculino et foeminino usurpatur, in utraque declinatione: Aridae fici, apud Macrobius [Saturn. III, 20, 1.]. Et, ficus virides, Suetonius in Aug. [c. 76.]. Eodem modo utuntur pro morbo ¹⁸⁾.

¹⁹⁾ Neutrum genus tribuitur etiam iis, quae *τεχνικῶς* efferuntur, seu (ut vulgus vocat) mate-

15) Editt. 1546., s. a. addunt: Ister.

16) auctorum] in Ed. s. a. deest.

17) Editt. 1546., s. a. addunt: Tunc enim Eunuchus fabulam significat, non personam.

18) Ficus arbor — morbo.] Editt. 1546., s. a. pro his exhibent: Ficus pro arbore et fructu genere foeminino et declinatione secunda et quarta plerunque offertur ab his, qui diligenter locuti sunt. Horum consuetudinem nos quoque sequamur. Nam rarissime reperitur ficus genere masculino.

19) His in Editt. 1546., s. a. superimposita est inscriptio: Regula.

rialiter, ut cum dico, Caesar dissyllabum est. Graeci addunt articulum *τό*.

III.

Numeralia nomina a quatuor ad centum, indeclinabilia, generis omnis sunt. Caetera sic variantur declinabilia:

Unus	hi duo	hi tres
Una	hae duae	hae tres
Unum	haec duo	haec tria.

Indeclinabilia.

Quatuor, Quinque, Sex, Septem, Octo, Novem, Decem, Viginti, Triginta, Quadraginta, Quinquaginta, Sexaginta, Septuaginta, Octoginta, Nonaginta, Centum.

A centum composita, variantur per genera, mutatis terminationibus:

Ducenti, ae, a	Sexcenti, ae, a
Trecenti, ae, a	Septingenti, ae, a
Quadringenti ae, a	Octingenti ae, a
Quingenti ae, a	Nongenti ae, a.

Mille, bifariam usurpant Latini: alias adiective, alias substantive.

Adiectivum Mille, indeclinabile est, plurale tantum, generis omnis:

Mille homines	Mille hominum
Mille hominibus etc.	

Substantivum mille, singulari numero indeclinabile est, generis neutri, hoc mille: Mille passuum percurri.

Plurali sic declinatur:

Millia, millium, millibus, millia, millibus. Ut, duo millia equitum habuit in exercitu Carolus, vel, bis mille equites.

V.

Quae conveniunt viris ac mulieribus, communis generis sunt:

hic et haec homo
hic et haec pincerna.

VI.

Adiectivorum alia tribus terminationibus tria genera continent, ut

hic albus, haec alba, hoc album.

Alia duabus:

hic et haec fortis, et hoc forte.

Alia una terminatione tria genera continent, quae dicuntur omnis generis.

hic, haec, hoc foelix
 hic, haec, hoc locuples
 hic, haec, hoc pauper²⁰⁾.

Hospes, sospes, dives in neutro genere usurpantur nonnunquam, ut: Divitis ingenii est immania Caesaris acta Condere, apud Ovidium [Trist. II, 335 sq.]²¹⁾.

VII.

Volucrum nomina, una terminatione duo genera complectentia, dicuntur ἐπιχολίου, id est, promiscui generis, quod una voce, uno articulo, duo genera promiscue, sineque discrimine sexus efferantur:

haec pica hic passer haec aquila
 hic pavo haec cornix haec coturnix
 haec alauda hic picus.

Terminatio articulum indicabit; nam a fere foeminina terminatio est, er masculina, us masculina.

Excipe

Quorum discretas sunt terminationes:

hic gallus hic columbus
 haec gallina haec columba.

Haec grus usitate. Virgilius [Georg. I, 120.]: Strymoniaeque grues. Et Plinius [Hist. Nat. X, 23. veterum Editt.]: Excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes, qui lassatis somno decidens indiligentiam sono coarguat. Caeterae dormiunt.

Hic bubo. Ovidius [Met. V, 550 sq.]: Ignavus bubo, dirum mortalibus Omen; Haec bubo, Virgilius [Aen. IV, 462.]: Solaque culminibus ferali carmine bubo; Hic aut haec dama.

VIII.

Dubii generis sunt, quae ab autoribus alio atque alio genere usurpata sunt, ut:

20) hic, haec, hoc pauper] in Editt. 1546., s. a. deest.

21) Hospes — Ovid.] horum loco Editt. 1546., s. a. habent: Quaedam nomina communis generis, quae plerumque ut substantiva usurpantur, interdum tamen adiective usurpata, neutrum genus recipiunt, ut,

Hospes Dives Pauper.

Ut apud Ovidium. Divitis ingenii est immania Caesaris acta, Condere. Et apud Virgilium [Ecl. I, 69.]: Pauperis et tuguri congestum cespite culmen. Sed observandum est, quos casus receperit usus, non enim dicimus paupera pluraliter.

hic dies haec dies hic alvus haec alvus
 hic finis haec finis hic adeps haec adeps
 hic margo haec margo hic silex haec silex
 hic pumex haec pumex hic calx haec calx.

Rigidos calces, Persius [Sat. 3, 105.]. Ferrata calce, Virgilius [Aen. XI, 714.].

Priscianus et Nonius Marcellus plurima recensent; verum est in his sequenda consuetudo receptissimorum auctorum. Frontem masculino genere dixit Caecilius, at nunc non liceat²²⁾. Sic cardinem foeminino dixit Gracchus. Nos potius Virgilium [Aen. I, 672.] sequamur: Haud tanto cessabit cardine rerum. Ita de reliquis iudicabit puer.

Sequuntur regulae speciales.

A.

In a foeminina sunt, ut haec Musa.

Excipe Graeca, hic poeta, hic planeta, hic cometa.

Excipe et pluralia in a, ut arma, et Graeca neutra, ut poema.

Polenta, neutrum apud Ovid. [Met. V, 450.]: Dulce dedit, tosta²³⁾ quod coxerat ante polenta. Foeminino [ibid. vs. 454.]: Cum liquido mixta perfudit diva polenta. Adria masc. apud Lucanum [Pharsal. V, 614.]: Vagus Adria²⁴⁾.

Communia sunt, quae ad viros et mulieres pertinent, ut ex generalibus regulis constat. Incola, Homicida, Indigena.

Veteres etiam dixere Indigenus, indigena, indigenum²⁵⁾.

Alienigena vina, apud Valerium.

Caprigenum pecus, apud Virgilium [Aen. III, 221.].

E.

In e neutra sunt, ut hoc mare.

22) at nunc non liceat.] Editt. 1546., s. a.: id nunc eruditi nulli imitantur.

23) tosta] Editt. 1526., 1529. testa.

24) Polenta — Adria.] pro his in Editt. 1546., s. a. legitur haec: Polenta quidam neutrum esse voluerunt, moti versu Ovidii, Dulce dedit, testa quod coxerat ante polenta. Sed decepti sunt vitiosa scriptione, cum versus sic legi debeat: Dulce dedit, testa quod coxerat ante polenta. Dulce autem substantive usurpatur, pro genere potus dulcis facti ex tosta polenta, id est, ex hordeo, aus maltz, sicut postea eodem modo usurpatur vox Liquidum [ibid. vs. 453 sq.]: Nondum epota parte loquentem, Cum liquido mixta perfudit diva polenta.

25) Veteres — indigenum.] Ed. s. a.: Veteres Indigenus, indigena, indigenum dixerunt.

Graeca foeminina sunt, ut Pentecoste, *πεντηκοστή*. Quaedam et neutra, Tempe, coete, quod plurale est a *κοίτος*.

Pluralia foeminina sunt, ut nugae²⁶).

I.

In i neutra sunt, ut hoc gummi, *σιναπί*.

Hi obliqui omnium generum nominibus adponuntur:

Frugi	frugi vir, dativus a frux
Nauci	nauci homo
Nihili	nihili homo
Mancipi	mancipi res, id est, propria res. Genitivus est a mancipii, declin. 2. ut Lucretius [III, 984.]: Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu ²⁷).

O.

In o masculina sunt, ut hic sermo, *ardelio*.

Excipe quae do aut go finiunt, quae foemina sunt, ut haec dulcedo, *caligo*, *ferrugo*.

Ordo masculinum est.

Cardo masculinum, apud Virgilium [Aen. I, 672.]: Haud tanto cessabit cardine rerum.

Pondo neutrum, et singulare et plurale²⁸).

In io verbalia foeminina sunt, ut legio, *lectio*. Caro, Talio foeminina²⁹).

U.

In u neutra sunt, ut hoc cornu.

C.

In c neutra sunt, ut hoc lac, hoc halec.

Sed halecem etiam foeminino genere dixit Martialis.

AL.

In al neutra sunt, ut vectigal³⁰): Cicero [Parad. 6.]: Non intelligunt homines, quam magnum sit vectigal parsimonia.

26) ut nugae.] ab Ed. 1526. absunt.

27) Mancipi — usu.] horum loco in Editt. 1546., s. a. exhibentur haecce: Mancipi, genitivus est nominis mancipium. Inde mancipii, et per contractionem mancipi. Duo enim ii coeunt in unum. Et dicitur res mancipi, quasi dicas, res domini, significat enim rem propriam et iure mancipatam. Ideo Lucretius eleganter dixit: Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu. Significat enim vitam non esse proprie nostram, aut in potestate nostra.

28) et sing. et plur.] Editt. 1546., s. a. addunt: et significat libram, ein pfundt.

29) Caro, Talio foem.] Editt. 1546., s. a.: Foeminina sunt et caro, talio.

30) vectigal.] Ed. s. a.: hoc vectigal.

Sal neutro genere vulgo usurpatur. Veteres masculino maluerunt.

EL.

Neutrum est, mel, fel.

IL.

Neutrum est, ut nihil.

Strigil, mugil masculina sunt³¹).

OL.

Masculinum est, sol.

UL.

Masculinum, consul.

Exul, commune est.

AM.

Nequam, omnis generis est.

EM.

Tantundem, neutrum.

Totidem, omnis generis³²).

UM.

Neutra sunt um finientia, ut lorum, speculum³³).

Mulierum nomina, ut Glycerium, alias foeminino aut³⁴) neutro genere efferuntur.

AN.

In an masculina sunt, et Graeca, hic Paeon.

EN.

In en neutra sunt, ut hoc flumen. Excipe Masculina, Lyen, splen, ren, Hymen³⁵), nuptialis hymnus.

Sunt et masculina a cano composita, ut Fidicen, tibicen, tubicen.

Syren foemininum, ad generales regulas pertinet³⁶).

Flamen, Sacerdotis nomen, masculinum est.

ON.

In on Graeca sunt omnia, quorum genera cognosces ex suis auctoribus, pleraque autem

31) Strigil — sunt.] Editt. 1546., s. a.: Masculina sunt, strigil et mugil.

32) omnis generis.] Editt. 1546., s. a. addunt: et plurale.

33) lorum, spec.] Ed. s. a.: hoc lorum, hoc spec.

34) aut] Ed. s. a.: alias.

35) In Ed. s. a. cuique harum quatuor vocum praefixum est Pron.: hic.

36) Syren — pertinet.] sic Ed. 1529.; Editt. 1546., s. a. his addunt: ut et Troezen. In Ed. 1526. „Syren — Troezen.” non leguntur.

neutra sunt, quae in um apud Latinos exeunt, *σύμβολον* symbolum.

AR.

In ar neutra sunt, ut laquear³⁷⁾.
Lar masculinum est. Par omnis generis.

ER.

In er masculina sunt, ut agger, vesper³⁸⁾.

Excipe:

Haec acer pro arbore, ahorn, apud Priscianum, haec linter, hoc iter.

Et neutra sunt, quae ver aut ber finiunt, ut Cadaver, ver, super, uber, tuber³⁹⁾.

Imber masculinum est cum compositis.

Sunt neutra et fructuum nomina, ut papa-ver, piper⁴⁰⁾.

OR.

In or masculina sunt, ut honor⁴¹⁾.

Excipe:

Haec arbor, hoc ador⁴¹⁾,
Hoc cor, hoc aequor, hoc marmor.

Adiectiva regulas generales sequuntur.

a corpus	bicorpor
a color	discolor
a memor	immemor ⁴²⁾ ,

usurpatur et neutro genere, quemadmodum neutris adduntur, pauper, hospes, locuples, de-gener, etc.

UR.

In ur neutra sunt, ut ebur.

Excipe:

hic furfur, hic vultur, hic turtur.

Fur, cicur, ad generales regulas⁴³⁾ perti-nent.

37) laq.] Ed. s. a.: hoc laq.

38) agger, vesp.] Ed. s. a.: hic agger, hic vesp.

39) Cadaver — tuber. ... papaver, piper.] Ed. s. a.: hoc Cadaver, hoc v., hoc s., hoc t. ... hoc p., hoc p.

40) honor.] Ed. s. a.: hic honor. (Hoc Pron. praefixo haec Ed. etiam in seqq. pagg. saepius ab Editt. 1526., 1529., 1546. discrepat).

41) hoc ador] sic Ed. 1529.; Editt. 1546., s. a. hulo voci addunt: id est, far, frumenti species, propemodum illi similita, quam nos vocamus Roeken.; ab Ed. 1526. „hoc ador — Roeken.” absunt.

42) bicorpor disc. imm.] in Ed. s. a. cuique horum Adi. praefixa sunt: hic et haec.

43) gener. reg.] Editt. 1546., s. a.: reg. gener.

AS.

In as foeminina sunt, ut haec bonitas.

Excipe:

Hic as. Nam et assis nominandi casu veteres dicebant.

Hic vas vadis, hoc vas vasis.

Masculina etiam Graeca sunt:

Hic Elephas, hic Boreas.

Communia ad regulas generales pertinent, ut hic et haec Arpinas. Veteres dixerunt, hic et haec Arpinatis et hoc Arpinate.

ES.

In es, quae crescunt genitivis in tertia declinatione, masculina sunt, ut

hic cespes cespitis	hic gurges gurgitis
hic fomes fomitis	hic aries arietis ⁴⁴⁾ .

Excipe foeminina:

Haec seges haec teges.

Communia sunt:

Dives	eques	hebes	interpres
miles	pedes	praepes	hospes
sopes	teres	obses	deses
superstes.			

Tribuuntur haec aliquando et neutris.

II.

In es, quae non crescunt genitivis, foemina sunt, ut haec fames.

Sunt et foeminina quintae declinationis omnia, ut fides.

Item quae e producunt, ut merces mercedis.

Est et compes foemininum.

Excipe hic verres, eber, hic torques vel torquis, vel haec torques seu torquis. Propert. [IV, 10, 44.]: Torquis ab incisa decidit unca gula.

Cicero [de Off. III, 31, 112.], torque detracto, dixit.

Hic aut haec dies.

Hic meridies, masculino genere tantum usurpatur.

Hoc aes.

Hic pres. Interpres inde compositum est.

IS.

In is foeminina sunt pleraque, ut haec amussis, haec cutis, etc.

44) arietis] in Ed. 1526. deest.

Excipe:

I. In quibus is sequitur literam n, ut panis, sunt enim masculina, ut

hic panis, hic cinis, hic ignis, hic crinis,
hic finis, hic funis, hic clunis.

Masculinum canalis est.

II. In quibus is sequitur duas consonantes, aut unam duplicem, sunt ⁴⁵⁾ masculina.

hic axis	hic cassis, id est, rete
hic amnis	hic semissis
hic fascis	hic decussis
hic fustis	hic centussis, ab asse
hic piscis	facta sunt.
hic postis	hic collis
hic vectis	hic ensis
hic corbis	hic anguis
hic orbis	hic unguis
hic mensis	hic follis ⁴⁶⁾ .

Sunt autem et huius formae pleraque ⁴⁷⁾ foemina:

haec bipennis, haec febris, haec classis,
haec messis, haec cassis ein helm,
haec cuspis, haec pellis.

III. Masculina sunt, quae genitivis crescunt, ut

hic lapis	idis
hic cucumis	eris
hic cinis	eris
hic pulvis	eris
hic sanguis	inis
hic vomis	eris
hic glis	gliris.

Hoc loco Grammatici mentionem fecerunt figurae Latinae ⁴⁸⁾, qua complecti solemus praepositionem et nomen, significaturi officium, disputaruntque de eorum genere. Nos orationem potius eam complexionem esse iudicamus, quam unum nomen, genusque attribuimus et casum iuxta auctorum exempla ⁴⁹⁾:

ab epistolis	pro scriba
a pedibus	pro cursore.
a concionibus	pro concionatore
a secretis	pro secretario.

45) unam duplicem, sunt] sic Editt. 1546., s. a.; Editt. 1526., 1529.: una duplex, suntque

46) In Ed. s. a. haec voces alio ordine sunt dispositae.

47) pleraque] Editt. 1546., s. a.: quaedam

48) Latinae] in Ed. s. a. omiss.

49) iudicamus, — exempla:] Editt. 1546., s. a. horum loco exhibent: iudicamus. Attribuimus enim alteri voci genus

Nemo opinor recte dixerit, ab epistolis Romano, pro, scribae Romano, sed, Romae ab epistolis etc. Observabis ipse, quomodo usi sint auctores.

OS.

In os masculina sunt, ut honos, lepos, flos.

Excipe foemina:

haec arbos, haec cos, haec dos, haec glos.

Neutra:

os ossis, os oris, melos, chaos.

Communia:

Bos ⁵⁰⁾, Custos, Compos,
Impos, Sacerdos.

US.

In us secundae et quartae declinationis plerumque sunt masculina, ut

hic ventus, hic fructus.

Excipe Graeca, quae fere sunt foemina,

ἄρκτος	haec Byssus
μέθοδος	haec Beryllus
ἔρημος	haec Carbasus,
ἄβυσσος	plurali neutrum est.
πάπυρος	haec Carbasa.
haec Nardus	haec Costus, herba
haec Hyssopus ⁵¹⁾ .	

Sunt et foemina haec Latina:

haec domus	haec colus	haec humus
haec acus	haec anus	hae idus ⁵²⁾
haec porticus	haec tribus	haec vannus.

Neutra:

hoc vulgus hoc pelagus.

II. ⁵³⁾

In us tertiae declinationis foemina sunt, quae u in obliquis retinent, ut

haec	servitus	tutis
haec	palus	udis

et casum iuxta exempla auctorum, ut a pedibus meis. Non enim dicimus, meus a pedibus.

50) Bos] Ed. s. a. huic voci praefigit: Hic et haec

51) ἄρκτος — Hyssopus.] sic Editt. 1529., 1546. et Ed. s. a. (in qua vero 5 voces graecae latine: „Arctus, Methodus, Eremus, Abyssus, papyrus” scriptae sunt); in Ed. 1526. solae 5 voces graecae leguntur additis verbis: Sic pleraque alia.

52) haec idus] sic Editt. 1526., s. a.; Editt. 1529., 1546. haec idus. Editt. 1546., s. a. addunt: Est enim plurale.

53) II.] hic numerus ab Ed. 1526. abest

haec salus utis
haec tellus uris.

Excipe masculinum, mus.

Neutra sunt:

hoc ius hoc crus hoc rus
hoc pus hoc plus hoc thus.

Sus, grus communia sunt⁵⁴⁾.

Intercus⁵⁵⁾, vetus, omnis generis.

In us tertiae declinationis neutra sunt ea⁵⁶⁾,
quae in obliquis u mutant, ut

hoc acus aceris *ακίβαλον* Kaff⁵⁷⁾

hoc corpus oris

hoc pecus oris.

Quaedam in us varie usurpant autores, ut

hic penus peni, Patris penum omnem,

hoc penus penoris apud Terentium [Eu-

hic specus nuch. 2, 3, 18.].

hoc specu.

Cuiusmodi multa adnotavit Nonius Marcellus,
pleraque etiam Valla.

AUS.

In aus foeminina sunt, ut⁵⁸⁾

haec laus, haec fraus.

S, cum consonante.

Quae finiunt s, praecedente consona, monosyllaba, foeminina sunt, ut

haec ars, haec mors, haec puls.

Excipe:

hic fons, mons, pons, seps.

Sunt et masculina nomina, quibus assis partes significamus, quae quo certius intelligantur, omnia hic recensebimus:

As vel assis unciae XII⁵⁹⁾

Deunx XI

Dextans seu decunx X

Dodrans IX

Bes VIII

Septunx VII

Semissis VI

Quincunx V

Triens III

54) Sus, grus communia sunt.] Editt. 1546., s. a.: Communia sunt, sus et grus.

55) Intercus] haec vox in Ed. 1546. communibus adiuncta est.

56) ea.] Editt. 1546., s. a.: illa,

57) Kaff] Editt. 1539., 1546. sprower, Ed. s. a. sprowen

58) In aus — ut] in Ed. s. a. omissa.

59) unciae XII] Editt. 1546., s. a.: continet uncias XII

Quadrans unicae III
Sextans II.
Uncia I.

T.

In t neutra sunt, ut Caput, Occiput.

Dicunt et occipitium. Est autem posterior capitis pars, iuxta Catonis apophthegma: Frons occipitio prior est, id est, praesentia domini plurimum prodest.

Sinciput, pars, qua se frons ad verticem tollit, Graece *βρέγμα*.

AX.

In ax Latina, foeminina sunt, ut pax, fornax.

Graeca fere masculina sunt, ut Abax, Thorax, Arctophylax, Limax⁶⁰⁾.

Calx usitate⁶¹⁾ genere foeminino effertur, et pro calcaneo et pro materie⁶²⁾. Veteres et masculino usurparunt in utraque significatione.

EX.

I. In ex monosyllaba sunt foeminina, ut haec fex haec lex.

Masculina sunt, ut hic grex, hic rex.

II. In ex polysyllaba masculina sunt, ut

hic codex Veteres caudex.

hic frutex hic latex

hic vervex⁶³⁾ hic pollex.

Excipe foeminina, haec carex, herba, Virgilius [Georg. III, 231.]: Et carice pastus acuta.

haec vibex, Persius [Sat. 4, 49.]: Puteal multa vibice flagellas.

haec suppellex, haec forpex, haec forfex, haec ilex.

Dubia:

Cortex, imbrex, obex, pumex, silex.

IX.

I. In ix dissyllaba masculina fere sunt, ut hic calix, hic fornix Iuvenalis [Sat. 3, 156.]: Lenonum pueri quocunque in fornice nati.

Hic natrix, Lucanus [Phars. IX, 720.]: Et natrix violator aquae.

60) Limax] ab Ed. 1526. abest.

61) usitate] Ed. 1526. usitato

62) materie.] Editt. 1546., s. a. materia.

63) hic vervex] ab Ed. 1526. abest.

Hic bombix, hic varix Horatius: Varice
hic sandix, hic spadix. succiso.

Excipe:

haec cervix, haec perdix, haec lodix,
haec cornix, haec salix, haec radix, haec filix.

II. Polysyllaba foeminina sunt, ut
haec cicatrix, haec coxendix, haec appendix.

Sic et monosyllaba:

haec strix, haec nix:

OX. UX.

In ox, ut nox; ux, ut nux, faux, foemi-
nina sunt.

BS. NS. RS.

Quae duabus consonantibus finiunt, generis
foeminini sunt,

haec ars, haec calx, haec mens, haec plebs.

Veteres et haec plebes singulari numero dicebant,

haec sors, haec mors, haec glans

haec trabs, Veteres trabes.

haec puls.

Excipe masculina, ut

hic mons hic pons hic fons

hic dens hic seps, Vulnificus seps.

Dubia sunt, frons, scrobs, stirps, sed ge-
nere foeminino usitatus efferuntur.

Chalybs masculinum.

Adeps dubium, sed masculine fere efferuntur.

Forceps masculinum.

Adiectiva ex regulis generalibus cogno-
scuntur.

Sons Insons⁶⁴⁾

Municeps, Concors, Discors.

Numeri.

Singularis, ut hic Caesar.

Pluralis ut hi Caesares.

Neque vel ratio, vel usus vetat, et propria
nomina pluraliter efferri, ut hi Philippi⁶⁵⁾.

Figurae:

Simplex, ut aptus. Composita, ut ineptus.

64) Insons] sic recte Editt. 1546., s. a.; Editt. 1526., 1529.
Pisons

65) Neque vel — Philippi.] pro his, Editt. 1546., s. a. ha-
bent: Quidam subtiliter disputant, propria nomina ca-
rere plurali numero, quia vere proprium nomen illud est,
quod non significat multos. Sed usus tribuit eis plura-
merum, ut Fabii.

Hic observandae sunt adolescentibus litera-
rum mutationes, ut amicus, inimicus. Verum
in verbis frequentius mutantur literae, quam in
nominibus.

Decomposita quidam esse dixerunt nomina
a verbis compositis nata, ut experientia, suf-
fragium.

Casus sex.

Nominativus, prima vox est, qua nomi-
namus rem.

Genitivus, non quod casus gignat, sed
quod eo utamur interrogati, cuius vel originis
vel possessoris res sit, ut cuius est liber? Cicero-
nis. Cuius est filius Africanus? Pauli Aemilii.

Dativus, quod eo utamur attribuendo ali-
quid cuiquam.

Accusativus, quo utimur, cum personam
aut rem⁶⁶⁾ verbo subiicimus, ut, lego Virgilium.

Vocativus, quo vocamus.

Ablativus, quo utimur, cum auferri ali-
quid significamus. Estque hic casus Latinis pro-
prius. Graeci enim ablativos non habent. Ideo
Grammatici nonnunquam Latinum casum vocant.

DECLINATIONES
sunt quinque.

Prima.

Complectitur quatuor terminationes, a, as,
es, e. Porro Graeca sunt omnia, quae as aut es
aut e finiunt, non Latina, veteresque omnia per
a efferebant, dicebantque pro Anchises, Anchisa.

Paradigma.

Singulariter.

haec Musa
huius Musae
huic Musae
hanc Musam
o Musa
ab hac Musa.

Pluraliter.

hae Musae
harum Musarum
his Musis
has Musas
o Musae⁶⁷⁾
ab his Musis.

66) aut rem] sic Editt. 1546., s. a.; ab Editt. 1526., 1529.
haec absunt.

67) Hic Vocat. plur. ab Editt. 1526., 1529. abest.

Figuras admittunt nonnunquam hi casus. Nam Virgilius diphthongum divisit, cum inquit: Aulā in medio. Item, pictā vestis. Item, aquā.

Et genitivo plurali nonnunquam syncope admittitur, Terrigenūm, pro terrigenarum. Idque fere in compositis tantum accidit.

Variant et dativi plurales. Nam veteres pleraque discriminis causa per abus extulerunt, ut eabus pro eis, foeminino genere. Hodie reliqua sunt, ex hac forma: Deabus, filiabus, natibus, equabus, mulabus, libertabus, ambabus, duabus. Sunt qui et dominabus dicunt.

Graecam formam imitantur, quae es aut as finiunt.

Paradigma.

hic Anchises
huius Anchisae
huic Anchisae
hunc Anchisen, hunc Aenean
o Anchise
ab hoc Anchise.

Rarissimum est et priscum, quod et Priscianus annotavit, genitivos singulares nominum purorum in a, per as exire, ut haec Maia, Maias, pro Maiae, et constat hoc aemulatione Graecorum⁶⁸⁾ fieri, unde est genitivus familias, pro familiae. Virgilius etiam auras pro aurae genitivo fecit.

Prorsus Graeca declinatio est nominum in e.

ut haec epitome,	Latini, haec epitoma.
huius epitomes	Sic et pentecoste
huic epitomae	πεντηκοστή, id est, quin-
hanc epitomen	quagesima,
o epitome,	Euterpe etc.
ab hac epitome.	

Pluraliter.
hae epitomae
harum epitomarum
his epitomis
has epitomas
o epitomae⁶⁹⁾
ab his epitomis.

Secunda declinatio.

In hanc retulerunt Latini nomina, quae finiunt

er	gener
ir	vir
ur	satur
um	scamnum
us	dominus
eus	Orpheus. Estque haec Graeca ⁷⁰⁾ ,

caeterae Latinae sunt.

Paradigma.

Singulariter.

hic dominus
huius domini
huic domino
hunc dominum
o domine
ab hoc domino.

Pluraliter.

hi domini
horum dominorum
his dominis
hos dominos
o domini⁷¹⁾
ab his dominis.

Hoc paradigma regulare est, quo fines casuum singularum indicantur. Caeterum numero syllabarum quaedam nomina variant. Nam quaedam superant nominativum in numero syllabarum in casibus reliquis, quaedam vero totidem syllabis contenta⁷²⁾ sunt in obliquis, quot syllabis constat nominativus. Indicabimus itaque horum discrimina.

De Genitivo.

Non superat genitivus nominativum numero syllabarum, si er⁷³⁾ praecedat muta.

Faber fabri,	cancer cancri,	vafēr vafri,
Ager agri,	aper apri,	Auster austri.

Excipe:

Liber Liberi, pro Baccho, et adiectivum liber, liberi.

70) Graeca,] Ed. s. a.: Graeca terminatio,

71) Hic Vocat. plur. ab Editt. 1526., 1529. abest.

72) contenta] sic Ed. 1546.; Editt. 1526., 1529., s. a.: contentae

73) er] Ed. 1526. r

68) aemulatione Graecorum] Editt. 1546., s. a.: Graecorum imitatione

69) Hic Vocat. plur. in Editt. 1526., 1529. deest.

Adulter adulteri, lacer laceri, socer soceri,
Asper asperi, prosper prosperi,
Lucifer luciferi, armiger armigeri.

Sic caetera a fero et gero⁷⁴).

Presbyteri a presbyter, quod inepte factum
est⁷⁵) a Graeco *πρεσβύτερος*, id est, senior.

Ἴβηρ Ἴβηρος. Plerique declinant et Iber
Iberi, vocat enim Livius amnem Iberum.

Et mulciber declinationis est tertiae. Sic
Ovidius [Art. am. II, 562.]:

Mulciberis capti Marsque Venusque dolis.

II.

Quae non habent mutam ante er, crescunt
genitivis, ut

gener generi, tener teneri, miser miseri.

In ir vir, viri

In ur satur, saturi

In eus⁷⁶) Orpheus, Orphei.

Observabis breve esse e in obliquis nomi-
num eus finientium, tametsi id poetae secuti
Graecam consuetudinem (sunt enim omnia in eus
Graeca) alicubi prodixerint, ut Ilionea apud Vir-
gilium. Nam Graeci ex *Ἰλιονέα Ἰλιονῆα* faciunt.

Nonnunquam etiam syneresi e et i in his ge-
nitivis coeunt in ei⁷⁷) unam syllabam. Sic Ovi-
dus [Fast. VI, 737.]: Iniuria Thesei⁷⁸) pro The-
sei. Genitivi huius formae sunt, Ulissi et Achilli
apud poetas, ut apud Virgilium [Aen. II, 274 sq.]:

Hei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit ex uvias indutus Achillei⁷⁹).

Nam veteres declinaverunt Achilleus sicut
Orpheus, Achillei, et per synaeresin Achillei⁷⁹).

Sunt et Graeci genitivi Atticae declinationis,
qua poetae usi sunt. Virgilius [Aen. VI, 20.]:
In foribus letum Androgeo, sic enim declinaut:

ὁ Ἀνδρόγεως τοῦ Ἀνδρόγεω.

Sed Graeca e suis auctoribus petenda sunt.

De Dativo.

O finiunt Dativi Latini omnes in hoc ordine,
ut dominus, domini, domino. Sic Orpheus,

74) Lucifer — gero.] Editt. 1546., s. a.: Et composita a
fero et gero. Lucifer luciferi, armiger, armigeri.

75) inepte factum est] Editt. 1546., s. a.: mutilatum est

76) In ir — In eus] Ed. s. a.: Sic et Anita In ir — In eus
77) ei] in Ed. s. a. deest.

78) Thesei . . . Achillei.] Ed. s. a.: Thesei . . . Achilli.

79) Achillei — Achillei.] Editt. 1546., s. a. pro his habent:
unde sit genitivus Achillei, quatuor syllabarum, et per
contractionem Achilli trium syllabarum.

Orphei, Orpheo. Verum quod Virgilius [Ecl.
4, 57.] dixit Dativo, Orphei, Graecum plane est
et contractum,

Ὀρφεῖ Calliopeia, Lino formosus Apollo.

De Accusativo.

Accusativi terminatio um est, ut dominus,
dominum. Sed ab eus, per a, accusativos fa-
ciunt, ut Orphea, Ilionea, *ov* Graecum est, ut
Ἰλιον. Vulgus et vulgum Latini dicunt⁸⁰).

De Vocativo.

Ab us fit per e vocativus, ut dominus, do-
mine.

Ab eus per eu fit, ut Orpheu. Sunt quae-
dam contracta Graeca, quae per u vocativos fa-
ciunt, ut Panthu. Pleraque in us similia sunt
nominativis, quae usus docebit, ut fluvius, pe-
lagus, populus. Virgilius [Aen. VIII, 77.]: Cor-
niger Hesperidum fluvius regnator aquarum.

Lucanus [Phars. II, 116.]: Degener ô po-
pulus!

In ius per i faciunt vocativos, ut Virgili,
Pompei⁸¹).

Ab er, ir, um, ur, similes sunt vocativi
nominativis. Invenias Evandre apud Virgilium,
sed id Graecum est ab *εὐανδρος*.

Nominativus Pluralis.

Masculina et foemina per i faciunt nomi-
nativos plurales. Neutra omnia et in aliis decli-
nationibus per a nominativos, accusativos, vo-
cativos formant, ut scamna, gymnasia.

Genitivus.

Per orum finit, sed syncope⁸²) syllabam
subtrahit, ut pro deorum deum, virum pro vi-
rorum. Poetae his frequentius utuntur, sed ta-
men et in soluta receptum iam est, mille num-
mum pro nummorum, et sestertiium pro sestertio-
rum.

De tertia declinatione.

Tertio ordine declinantur nomina, quae
finiunt, a e i o c l n r s t x.

80) dicunt.] Editt. 1546., s. a. huic verbo addunt haecce:
Virgilius [Aen. I, 149.]: Saevitque animis ignobile vul-
gus. Hic genere neutro usurpavit poeta. Alio loco [ib. II,
98 sq.] inquit: spargere voces, in vulgum ambiguas, et
quaerere conscius arma.

81) In ius — Pompei.] Editt. 1546., s. a.: Propria nomina
in ius — Pompei. In appellativis hoc non servatur, praeter
quam in uno, scilicet filii, a filius.

82) syncope] Ed. s. a.: syncope interdum

Formulae casuum.

Singulariter ⁸³⁾. Genitivus is. Dativus i. Accusativus em. Vocativus similis est nominativo. Ablativus e vel i ⁸⁴⁾.

Pluraliter. Nominativus es. Genitivus um. Dativus bus. Accusativus et Vocativus similes nominativo plurali. Ablativus similis dativo.

In hac declinatione, quia genitivus alias numero syllabarum superat nominativum, alias par est et in nominativo et in genitivo syllabarum numerus, formatio genitivi paulo est difficilior. Sed ex Paradigmatibus facile cognoscetur, quare eius casus formationem aestimandam ab exemplis relinquimus.

Paradigma in ⁸⁵⁾ A.

In a neutra sunt, et Graeca omnia, ut poema, tragema, carcinoma. Certe veteres declinarunt huiusmodi voces prima declinatione, ut haec schema, huius schemae, apud Plautum [Amphitr. Prol. 117.].

Paradigma. Singulariter.

hoc poema
huius poematis
huic poemati
hoc poema
o poema
ab hoc poemate.

Pluraliter.

haec poemata
horum poematum
his poematibus
haec poemata
o poemata
ab his poematibus.

De dativo et ablativo plurali.

Dativos et ablativos plurales nominum in a faciunt etiam per is, ut poematis, pro poematibus, idque usu receptum est.

E.

In e neutra sunt omnia ⁸⁶⁾ in hac declinatione.

83) Singulariter.] sic Ed. s. a.; in Editt. 1526., 1529., 1546. deest.

84) Ablativus e vel i.] sic Ed. s. a.; ab Editt. 1526., 1529., 1546. haec absunt.

85) Paradigma in] ab Ed. s. a. absunt.

86) sunt omnia] Ed. s. a.: omnia sunt

Paradigma. Singulariter.

hoc cubile
huius cubilis
huic cubili
hoc cubile
o cubile
ab hoc cubili. Ablativus i finit.

Pluraliter.

haec cubilia
horum cubilium
his cubilibus
haec cubilia
o cubilia
ab his cubilibus.

Haec praesepes, huius praesepis veteres dixere. Nunc hoc praesepe dicimus, et in singulari ἀπρωτον esse fere sentiunt. Pluraliter praesepia. Et gausape in singulari ἀπρωτον est. Persius [Sat. 6, 46.] pluraliter dixit gausapa.

Cepe, genere neutro indeclinabiliter vulgo utuntur; usitatus est bonis autoribus: haec cepa, cepae, hae cepae, ceparum.

Ovidius [Fast. III, 340.]: Caedenda est hortis eruta cepa meis. Iuvenalis [Sat. 15, 9.]: Porrum et cepe nefas morsu violare.

In I.

Ἄπρωτα sunt, ut gummi, suntque fere peregrina, ut sinapi.

In O.

Omnia genitivum formant nis adposita nominativis. Sed mutant o, quae do aut go finiunt. Retinent fere caetera tum masculina, tum foeminina.

Paradigma.

hic ardelio
huius ardelionis Genitivi longi sunt praeter Gentilia Macedo, Ma-
huic ardelioni ter Gentilia Macedo, Ma-
hunc ardelionem cedonis ⁸⁷⁾.
o ardelio
ab hoc ardelione.

Pluraliter.

hi ardeliones
horum ardelionum
his ardelionibus

87) Gentivi — Macedonis.] In Editt. 1546., s. a., haec additis in fine verbis: „brevi penultima.”, Nominativo: hic ardelio, praecedunt.

hos ardeliones
o ardeliones
ab his ardelionibus.

Excipe:

Homo hominis nemo neminis
Anio Anienis⁸⁸⁾ Apollo Apollinis.

Paradigma in do et go.

haec imago
huius imaginis
huic imagini
hanc imaginem
o imago
ab hac imagine.

Pluraliter⁸⁹⁾.

hae imagines
harum imaginum
his imaginibus
has imagines
o imagines
ab his imaginibus.

Excipe: Caro carnis.

Pondo neutrum est, indeclinabile singulari ac plurali numero. Falluntur enim, qui singularibus accommodari posse negant. Nam et coronam pondo auri, et libram pondo, Livius dixit. Pondo proprie significat assem seu libram, unde dupondius est⁹⁰⁾. Est et pro pondere simpliciter usurpatum, cum additum est vocabulum libra. Sic enim Livius ait, Libra pondo auri etc.

Propria in o foeminina, regulariter Latini declinant, ut

haec Iuno
huius Iunonis.

Graeca etiam in o veteres sic declinarunt, ut
haec Sappho
huius Sapphonis.

Verum usus obtinuit, ut Graeca declinatione flectantur Graeca:

haec Sappho
huius Sapphus⁹¹⁾
huic Sappho⁹¹⁾
hanc Sappho⁹¹⁾

88) Anienis] sic Editt. 1529., 1546., s. a.; Ed. 1526. Anientis.

89) Hae formae Plur. in Ed. s. a. desunt omnes.

90) dupondius est.] Editt. 1546., s. a. addunt: id est, duo asses.

91) Sapphus, Sappho, Sappho] sic Ed. s. a.; Editt. 1526., 1529., 1546. σαπφούς, σαπφῶ (Ed. 1529. σαπφῶ, Ed. 1546. Sappho), σαπφῶ

o Sappho
ab hac Sappho.

G.

Duo tantum sunt nomina,
hoc lac, et hoc halec.

Hoc lac Plautus et hoc lacte in
huius lactis nominativo dicit [Me-
naechm. 5, 9, 30].

huic lacti
hoc lac
o lac⁹²⁾
ab hoc lacte.

Plurale desideratur.

Nam lactes plurale tantum, significat intestina, γαλακτίδας.

hoc halec
huius halecis
huic haleci
hoc halec⁹³⁾.

Desideratur et hic plurale.

AL⁹⁴⁾.

In al, is adiciunt nominativo, habentque longas penultimas.

Paradigma.

hoc vectigal
huius vectigalis
huic vectigali
hoc vectigal
o vectigal
ab hoc vectigali.

Pluraliter.

haec vectigalia
horum vectigalium
his vectigalibus.

Sal salis, priorem brevem habet. Catullus [87, 4.]: In toto non est corpore mica salis. Sic et peregrina, Hannibal Hannibalis.

EL.

In el duo sunt, mel et fel.

hoc mel Sic hoc fel,
huius mellis huius fellis.
huic melli
hoc mel
o mel⁹⁵⁾
ab hoc melle.

92) Hic Vocat. in Editt. 1526., 1529., 1546. deest.

93) Ed. s. a. addit Voc. et Abl.: ὁ halec, ab hoc halece.

94) AL.] Ed. 1526. L.

95) Hic Voc. ab Editt. 1526., 1529., 1546. abest.

Pluraliter.

haec mella.

Genitivus, dativus et ablativus desiderantur.

Fel prorsus caret pluralibus omnibus casibus.

De peregrinis nihil attinet praecipere, usus fecit, Daniel Danielis.

OL.

hic Sol huius Solis.

UL.

hic Consul huius Consulis.

AM.

Nequam, ἀκλιτον est.

EM.

Tantundem, inde genitivus est solus, tantidem.

Totidem, plurale ἀκλιτον est.

AN.

Graeca sunt omnia, is nominativo adiiciunt.

hic Paeon
huius Paeanis
huic Paeani⁹⁶⁾ etc.

EN.

Is adiiciunt, et vocalem e in i mutant.

Singulariter.

ut hoc numen
huius numinis
huic numini
hoc numen
o numen⁹⁷⁾
ab hoc numine.

Pluraliter.

haec numina etc.

E retinent

Ren renis e longum est.

Splen splenis

Lien lienis

Et Graeca Syren syrenis

Hymen hymenis.

IN.

Is adponitur, suntque peregrina omnia.

Delphin delphinis.

96) Ed. s. a. addit etiam Acc.: hunc Paeana

97) Hic Voc. ab Editt. 1526., 1529. abest.

ON.

Sunt et haec peregrina, is adiiciunt genitivi, et o longum est in primitivis, ut Simonis, breve fere in derivativis, ut canon canonis, daemon daemonis. Orionis⁹⁸⁾ alias corripunt, alias producunt. Sunt quae tis in genitivis adiiciunt, ut Xenophon Xenophontis. Sed de his diligentius praecipunt Graeci.

AR.

Is adiiciunt genitivi, ut torcular torcularis. Longae sunt penultima in neutris substantivis. Reliqua brevia sunt, ut lar laris. Est et nectar breve. Far farris format, Epar epatis⁹⁹⁾.

ER.

Is adiiciunt in genitivis, ut Agger aggeris, Carcer carceris.

Excipe:

Adiectiva in cer, cris faciunt:

Alacer alacris
acer acris
volucer volucris.

Adiectiva in ber, bris faciunt:

Celeber celebris
saluber salubris
uber uberis.

Analogiam sequitur et puber puberis.

Adiectiva in ster, stris faciunt:

Paluster palustris.

Imber cum iis, quae ab eo fiunt, bris faciunt, ut

Imber imbris
September septembris.

In ter, tris faciunt, ut

Pater patris
Mater matris
Lynter lyntris.

Iter, ab antiquo itiner, itineris facit.

Mulier mulieris, penultima brevi veteres pronuntiarunt¹⁰⁰⁾.

Sequester sequestris, tertia declinatione Cicero fecit, secunda Plautus, sequestrum.

98) Orionis] Ed. s. a.: Orion

99) Epar epatis.] Editt. 1546., s. a. addunt: est enim Graecum ἔπαρ πατος, Latini locur dicunt.

100) pronuntiarunt.] Editt. 1546., s. a. addunt: sed in versu cum nimis multae breves alioqui concurrant, E longum fecerunt.

Graeca in er, e producant, ut

<i>χαρακτήρ</i>	<i>χαρακτήρος</i>
<i>κρατήρ</i>	<i>κρατήρος.</i>

IR.

Is adiiciunt genitivi, ut martyr martyris.

Sunt autem peregrina in ir omnia.

OR.

Is addunt genitivi o longa, ut Color coloris.

Corripiunt genitivos:

Arbor	arboris
Aequor	aequoris
Marmor	marmoris
Memor	memoris.

Et Graeca brevia fere sunt:

Rhetor	rhetoris
Nestor	Nestoris
Cor	cordis facit.

UR.

Is adiiciunt genitivi.

Augur	auguris
Fulgur	fulguris.

U mutant in o quaedam:

Ebur	eboris
Femur	femoris
Robur	roboris
Iecur	iecoris,

Iecinoris etiam dixerunt veteres.

AS.

In as, s abiecta, tis addunt genitivi, ut

Bonitas	bonitatis, penultima longa.
---------	-----------------------------

Excipe:

Hic As	assis
hoc vas	vasis <i>οκεῦος</i>
hic vas	vadis pro sponsore.
hic mas	maris.

Fas et nefas *ἀκλιτά.*

Graeca variant, masculina per antis faciunt genitivos, ut

Elephas	elephantis
Adamas	adamantis
Gigas	gigantis.

Foeminina per adis:

Haec Ilias	Iliadis.
------------	----------

ES.

In es masculina, es abiecta, per itis faciunt genitivos, penultima brevi:

Hic Cespes	cespitis
hic Fomes	fomitis
hic Miles	militis.

Haec e retinent ¹⁾:

Hebes	hebetis	
Indiges	indigetis	
Interpres	interpretis	
Praepes	praepetis	
Perpes	perpetis	
Teres	teretis	
Paries	parietis	
Aries	arietis	
Pes	pedis	breve est.

Haeres	haeredis	longas habent
Praes	praedis	penultimas et
Vates	vatis	hi Vepres ²⁾ .
Verres	verris.	

Graeca e producant:

Lebes	lebetis
Magnes	magnetis
Chremes	Chremetis
Sic et locupes	locupletis.

In es foeminina, genitivos faciunt es in is tantum mutata, ut,

Haec clades	cladis
haec fames	famis.

Excipe:

haec merces	mercedis
haec quies	quietis.

Tametsi compositum requies, quinto ordine declinent. Virgilius [Aen. IV, 433.]: Tempus inane peto, requiem spatiumque furori. Sed Cicero in Senectute quietem etiam dixit.

haec seges	segetis
haec teges	tegetis,

apud Varronem in Re Rust., et Iuvenalis [Sat. 6, 117.]: AUSA palatino tegetem praeferre cubili. Significat rusticum et vile stragulum.

1) Haec e retinent:] Editt. 1546., s. a.: Haec retinent e, et habent similiter penultimas breves.

2) longas — Vepres] pro his voci Haeres et seqq. adscriptis in Editt. 1546., s. a. illi voci praemissa sunt haec: Sequentia longas habent penultimas genitivis.

Ceres Cereris
Abies abietis, brevi penultima.

Priscianus apes nominativum facit. Verum Ovidius apes dixit [Met. XIII, 928.]: Non apes inde tulit collectos sedula flores.

Et haec apes, huius apes Columella fecit.

IS.

Genitivi fere nominativis similes sunt in omnibus, quae in is desinunt:

hic collis huius collis
haec febris huius febris.

Excipe gentilia:

Quiris Quiritis³⁾
Samnis Samnitis.

Sic Dis ditis Glis gliris
Cinis cineris
Cucumis cucumeris Videntur enim
Pulvis pulveris per er elata esse,
Vomis vomeris. vomer vomeris⁴⁾.

Lapis lapidis
Cuspis cuspidis
Sanguis sanguinis.

Faciunt et genitivum pollinis, a nominativo pollis, cum tamen *ἀναλογία* arguat nominativum esse pollen.

Graeca mire variant.

Masculina sicut lapis declinantur:

Paris Paridis
Alexis Alexidis.

Foemina regulam imitantur:

haec genesis
huius genesis, si Latine declines.

Declinatio Graeca est petenda a Graecis; Thetis Thetidis, et quae ys finiunt, Tethys Tethyos.

OS.

In os genitivos faciunt per oris, ut

Mos moris
Flos floris
Ros roris.

³⁾ Quiritis] Editt. 1546., s. a. addunt: longa penultima.

⁴⁾ Videntur — vomeris.] pro his vocl Cucumis et seqq. in Editt. 1526., 1529. adscriptis, Editt. 1546., s. a. post vocem Vomis exhibent haecce: Nam haec olim desinebant in er, ut vomer. Inde videntur hi genitivi reliqui esse.

Excipe:

Dos	dotis	} penultimam producent.
Cos	cotis	
Nepos	nepotis	
Sacerdos	sacerdotis	
Compos	compotis	breve est.
Custos	custodis	
Bos	bovis	
Os	ossis.	

Graeca a suis autoribus pete; sunt enim varia.

Heros	herois
Minos	Minois
Aegoceros	aegocerotis
Rhinoceros	rhinocerotis. Martialis:

Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

US.

Masculina in us ad declinationem secundam pertinent; Verbalia ad quartam.

Foemina et neutra fere huius sunt ordinis.

Foemina u retinent, et genitivos faciunt per utis, ut

Iuventus	iuventutis
Virtus	virtutis.

Excipe:

Palus	paludis
Incus	incudis
Tellus	telluris
Venus	Veneris.

Neutra u mutant, et faciunt genitivos per oris, ut

Corpus	corporis
Foenus	foenoris.

Faciunt genitivos per eris, quae lus, nus, dus finiunt⁵⁾, ut

Vellus	velleris
Vulnus	vulneris
Foedus	foederis.

Excipe:

Pignus	pignoris
Facinus	facinoris
Penus	penoris.

Adde viscus visceris, pro extis, tametsi nominativo raro usi sint Latini. Extat apud Lucretium [I, 837.]. Viscus visci, apud Horatium, leim.

⁵⁾ finiunt,] Ed. 1526. male: faciunt,

Acus aceris latus lateris
Opus operis ulcus ulceris
Vetus veteris.

Pecus variat, pecudis foeminino casu facit; neutro pecoris⁶⁾.

Comparativa in us, per⁷⁾ oris faciunt genitivos, ut

Candidius candidioris
Plus pluris facit.

AUS.

Laus laudis
fraus fraudis.

X.

Monosyllaba fere per cis genitivos faciunt, ut

Arx arcis
Merx mercis
Nux nucis
Pix picis
Dux ducis.

Paucula quaedam per gis faciunt genitivos, ut

Grex gregis
Lex legis
Rex regis
Frux frugis
Stryx strygis.

Et Graeca:

σφιγξ σφιγγός
στυξ στυγός⁸⁾
Nox noctis facit.

AX.

Per cis genitivos faciunt, ut

Audax audacis
Syphax Syphacis.

Latina consuetudine produxit Sidonius:
Tolle tuum precor Hannibalem victumque Syphacem⁹⁾.

Graeca consuetudine corripuit Iuvenalis:
Compulimus durum Syphacem fractumque Metelle.

6) pecudis — pecoris.] Ed. s. a.: foemininum pecudis facit, neutrum pecoris.

7) per] in Ed. s. a. deest.

8) σφιγξ — στυγός] Ed. s. a.: Sphinx sphingis, Styx stygis

9) Hic versus non est Sidonii, sed Iuvenalis Sat. 6, 170.

Nam Graeca fere corripiuntur.
κόλαξ¹⁰⁾ κόλακος κόραξ¹⁰⁾ κόρακος etc.

EX.

Icis genitivos faciunt, brevi penultima, ut

Codex codicis
Silex silicis.

Excipe:

Remex remigis
Senex senis
Suppellex suppellectilis
Vervex vervecis, longum¹¹⁾
Vibex vibicis, longa penultima

fecit Persius [Sat. 4, 49—52.]:

Si puteal multa cautus vibice flagellas,
Ne quicquam populo bibulas donaveris aures.

Respice¹²⁾ quod non es, tollat sua munera cerdo.

Tecum habita, et noris quam sit tibi curta suppellex.

IX.

Genitivos faciunt per icis, brevi penultima, ut

hic calix calicis
hic varix varicis uberbeyn.
hic fornix fornicis.

Et foeminina, ut

haec appendix appendicis
haec larix laricis
haec salix salicis
haec coxendix coxendicis.

Serenus:

Saepius occultus victa coxendice morbus.

Excipe longa:

Foeminina longa¹³⁾: Cornix cornicis
Radix radicis
Lodix lodicis
Perdix perdicis
et hic sandix sandicis.

10) κόλαξ . . κόραξ] hi Nominativi in Editt. 1526., 1529., 1546. non leguntur.

11) longum.] sic Editt. 1526., 1529.; Ed. 1546. longa; Ed. s. a. longa media.

12) Respice] sic Editt. 1526., 1529., 1546., s. a.; Persius ed. Koenig habet: Respue

13) longa] in Editt. 1546., s. a. deest.

Propertius [II, 25, 45.]: Illaque plebeio vel si¹⁴⁾ sandicis amictu.

Hic spadix spadicis.

Folium palmae significat, et colorem eius folii, kastaneebraun.

Virgilius [Georg. III, 82.]: Spadices, glaucique, color deterrimus albis.

Et Pernix pernicis

Foelix foelicis.

Et verhalia:

Nutrix nutricis.

Graecorum est magna varietas, de quibus ipsorum Grammaticos consule.

ὄρυξ ὄρυγος breve.

Inde Sardonychen dixit Persius [Sat. 1, 16.], brevi penultima.

Phoenix Phoenicis longa.

Iapyx Iapygis brevi.

μάστιξ μάστιγος breve est flagellum¹⁵⁾.

Unde Homeromastix, id est, insectator Homeri. Sic Zoilus vocabatur, quem in Olympiis de monte praecipitem deiecerunt Graeci, propterea quod Homero maledixerat. μάστιξη τῆς μάστιγος, gummi, quod ab indoctis¹⁶⁾ mastix dicitur. Sed Plinius et Dioscorides mastiche nominativo casu dixerunt, et habet penultimam brevem, nec pertinet ad hanc declinationem.

OX.

Genitivos faciunt per ocis, penultima longa, ut

Ferox ferocis

haec Celox celocis, penultima longa.

Varro: Nautae remivagam movent celocem.

Excipe:

Praecox praecocis, penultima brevi. Est enim a praecoquo.

Cappadox Cappadocis, penultima brevi. Persius [Sat. 6, 75—77.] in mercatorem multos servos vendentem:

Vende animam lucro, mercare, atque ex-cute solers

14) si] sic Editt. 1526., 1529., 1546., s. a.; Propert. ed. Hertzberg: sit

15) breve est flagellum.] Ed. s. a.: longa penultima, est flagellum.

16) ab indoctis] Editt. 1546., s. a.: vulgo

Omne latus mundi, ne sit praestantior alter, Cappadoces rigida pingues pavisse¹⁷⁾ catasta.

T.

Caput capitis

Occiput occipitis.

Persius [Sat. 1, 62.]: Occipiti caeco, posticae occurrite sannae.

NX.

Lanx lancis

Coniunx coniugis.

Et Phocas nominativo scribit coniunx, a iugo.

Quincunx quincuncis

Septunx septuncis

Deunx deuncis.

Peregrina:

Syrinx syringis

Phalanx phalangis.

NS.

Genitivos faciunt per ntis, ut

Amans amantis

Quadrans quadrantis

Frons frontis.

Excipe:

Glans glandis

Iuglans iuglandis

Libripens libripendis

Frons frondis.

LS.

Puls pulvis.

RS.

In tis desinunt, ut

Sors sortis.

Excipe a cor composita:

Vecors vecordis etc.

MS.

Hyems hyemis.

BS PS.

i interponunt, ut

Plebs plebis

Auceps aucupis.

Excipe a caput facta:

Anceps ancipitis, et similia.

17) pavisse] sic Editt. 1526., 1529., 1546., s. a.; Pers. ed. Koenig: plausisse

Dativus

In i desinit, ut

Poema poemati.

Et in hunc modum a genitivo suo cadit, nec figura ulla hanc terminationem mutat.

Accusativus

In em desinit, ut

Torquis torquem

Sol solem.

Sed quorundam accusativi fiunt per im, ut

hanc turrim

hanc burim

hanc securim et securem

hanc puppim et puppem

hanc sitim

hanc restim et restem.

Ad restim res rediit, dixit Terentius [Phorm.

4, 4, 5.]

hanc vim

hanc pelvim

hanc tussim, apud Catullum¹⁸⁾.

Et propria:

Tibrim Ararim.

Navem¹⁹⁾, Virgilius Aeneid. I. [vs. 120.]:
Iam validam Ilionei navem, iam fortis Achatae.

Sic alias saepe. Eadem voce accusativum fere Livius facit, et Terentius, Navem ascendit. Navim rarius est, apud Virgilium Aeneidos I. [vs. 188.]: Navim in prospectu nullam etc. Et Persius [Sat. 5, 102.]: Navim si poscat sibi peronatus arator.

Clavem rectius dici iudico, Ovidius Fastorum I. [vs. 99.] de Iano: Ille tenens baculum dextra clavemque sinistra.

Febrem et apud Plinium, et apud Cornelium Celsum reperio. Apud Horatium Sermonum II. [3, 294.]: In gelida fixum ripa, febrimque reducet. Et apud Gellium libro 17. capite 12. Febrim quartis diebus²⁰⁾ recurrentem.

Graecorum mira varietas est.

Paeon *παιῶνα*Genesis *γένεσιν*Chremes *χρέμητα* Chremem feceruntChlamys *χλάμυδα* LatiniParis *Παρίδα*, et Parin.

18) Editt. 1546., s. a. addunt: hanc magadarim, apud Plautum [Rud. 3, 2, 19.].

19) Navem,] Editt. 1546., s. a.: Navem usitate dici video.

20) quartis diebus] Ed. s. a.: quarto die

Mihi ridiculum²¹⁾ videtur et inutile, admiscere Latinis Graecas declinationes, easque malo ex Graecis autoribus peti.

Obiter hic monendi sunt pueri, neutrorum similes esse tres casus, nominativum, accusativum et vocativum, ut hoc pectus.

Vocativus

Similis est nominativo. Graeci o Palla, a Pallante dicunt. Thebai a Thebais.

Ablativus

Regulariter per e fit, ut

Pectus, pectore, Pestis, peste, Clavis, clave, Classis, classe, Torquis, torque.

Rudis pro virga, rude, apud Horatium [Epist. I; 1, 2.]: Donatum iam rude.

I.

In plerisque fit per i tantum, videlicet in neutris, in e, al, ar desinentibus, ut

ab hoc mari, vectigali, calcari.

Sale et farre dicimus.

Ab hoc Praeneste, Virgilius [Aen. VIII, 561.].

II.

In adiectivis in is et er, in hac declinatione, ut

ab hoc forti

humili

ab hoc acri

salubri.

a Juvenale

a Martiale

cum propria sunt

III.

In his, quorum accusativi tantum per im fiunt, ut

sitim

tussim

vim²²⁾

ab hac siti

ab hac tussi

a vi²³⁾.

III.

Mensium nomina per i faciunt ablativos,

Septembri, Decembri.

Juvenalis Satyra 7. [vss. 96 sq.]:

Tunc par ingenio pretium, tunc utile multis
Fallere, et vinum toto nescire Decembri.

Nam et ab imbri veteres dixisse Priscianus docet.

21) ridiculum] Editt. 1546., s. a.: intempestivum

22) vim] in Editt. 1526., 1529. deest.

23) Editt. 1546., s. a. addunt: Adde strigili. Horatius [Serm. II, 7, 110.]: Mutat furtiva strigili.

Sic Lucretius [I, 716.]: Ex igni, terraque, animae nascuntur²⁴⁾ et imbri.

Recentiores ab imbre maluerunt dicere. Ovidius [Fast. V, 166.]:

Navita, quas Hyadas Graius ab imbre vocat.

Quaedam ablativos per e aut i faciunt, videlicet,

I.

Adiectiva omnis generis, ut
ab hoc pare

Par

ab hoc pari usitatus.

a vetere usitate, Cicero Officiorum I.:
vetere disciplina.

Vetus

a veteri
a duplici

Duplex

a duplici Terentius [Phorm. 4, 2, 13.]:
Duplici spe.

a supplice

Supplex

a supplici, Salustius: voce supplici.
a memore usitatus

Memor

a memori
ab inope usitate

Inops

ab inopi
ab audace

Audax

ab audaci
a terete

Teres

a tereti
ab hebetes

Hebes

ab hebeti
a locuplete

Locuples

a locupleti
a vigilante

Vigil

a vigili

Sic stridens, anceps, concors, et cognata horum.

Item Arpinas et similia.

Hospes, sospes, pauper, degener,
Uber, e tantum habent in ablativo.

II.

Comparativa quoque bifariam faciunt ablativos, ut

a maiore a maiori.

III.

Ad eundem modum et haec substantiva in is, faciunt ablativos²⁵⁾, ut

Ab igne

ab igni

ab amne, Lucanus [VI, 366.]: Amne citato.

ab amni, Virgilius [Georg. I, 203.]: Prono rapit alveus amni.

ab angue

ab angui

a vecte, usitate

a vecti, apud unum Terentium: Cum vecti, in Eunuchis [4, 7, 4.].

ab ave usitate

a cive usitate

ab ungue usitate²⁶⁾.

III.²⁷⁾

Faciunt et bifariam ablativos ea, quorum accusativi per em et im fiunt, ut

a nave

a navi, Navi fracta, Terentius [Andr. 5, 4, 20.].

a febre, Iuvenalis: Praeterea lateris vigili cum febre dolorem.

a febrili

a puppi

a puppe

a turri, usitate

a turre, rarissimum est.

Nam et turrem repudiavit consuetudo doctorum.
Iuvenalis [Sat. 6, 291 — 293.]:

Stantes Collina in turre mariti.

Nunc patimur longae pacis mala, fortior armis
Luxuria incubuit etc.

Adde suppellex, suppellectili et suppellectile.

²⁵⁾ fac. ablat.] Ed. s. a. addit: bifariam

²⁶⁾ ab ave — usitate.] pro his, in Editt. 1546., s. a. leguntur: ab ungue usitate, ab ungui; a cive usitate, a civi rarius est; ab avi; a posti rarissima sunt.

²⁷⁾ III.] hic numerus ab Editt. 1526., 1529. abest.

²⁴⁾ terraque animae nascuntur] sic Editt. 1526., 1529., 1546., s. a.; Lucret. ed. Havercamp.: terrâ atque animâ crescere,

Casus pluralis numeri.

Nominativus, accusativus et vocativus desinunt in es, ut

Ardeliones
Colles.

Neutorum terminatio, ut alias etiam, a est²⁸⁾, ut pectora.

Sed hic observabunt pueri, in ia exire ea, quorum ablativi desinebant in i tantum vel in i et e, ut mollia, vectigalia. Praeter comparativa, ut meliora, graviora. Veteres tamen pluria et plura dixere.

Item vetera tantum dicitur, non veteria.

Usus aplustra et aplustria fecit.

Observabunt et antiquam diphthongum in accusativis nominum, quorum genitivi sunt nominativo similes. Item quorum nominativi desinunt in duas consonantes, ut

Acreis	omneis
salubreis	parteis
arteis	Decembreis et similia.

Graeci accusativi terminatio as est, ut, *κράτης* magnos statuunt, et viua coronant.

De Genitivo.

Terminatio est um vel ium. Saepe autem mediocriter literatis nonnihil negotii haec varietas facit, dubitantibus, utra terminatione sit utendum.

Proinde pueri diligenter hic adsuefaciendi sunt ad perdiscendam huius casus varietatem.

I.²⁹⁾

In ium desinunt omnia, quorum ablativi finiunt i tantum, vel i et e, ut

Ignium	utilium
foelicium	audacium
amnium	ancipitium.

Sic reliqua a caput.

Sapientium.

Nonnunquam syncopa fit sapientum, coelestum apud Virgilium. Parentum usitatius est.

Excipe et comparativa, Maiorum. Sed plus plurium facit.

Et composita, Artificum, Opificum.

Item supplicum, vigilum, veterum, memorum.

28) ut alias etiam, a est,] Ed. s. a.: ut alias, etiam hic A est,

29) I.] hic numerus ab Editt. 1526., 1546. abest.

II.

Si nominativi finiunt duabus consonantibus, genitivi³⁰⁾ ium faciunt, ut

Pars ³¹⁾	Partium	urbium
	falcium	glandium
	trabium	mercium
	artium	cohortium.

Excipe:

Hyemum	principum
municipum	mancipum
forcipum	inopum
coelibum.	

III.³²⁾

Ubi pares syllabae in nominativo ac genitivo sunt, fiunt genitivi per ium, ut

Collium	mensium
aedium	aurium
sedium	Cicero et sedum dixit pro Sextio.

Adde litium	ditium
virium	salium
manium	penatium.

Excipe:

Vatum	iuvenum
canum	opum

procerum³³⁾

apum, apud Columellam et apium³⁴⁾.

Adde as assium, Veteres enim hic assis dicebant.

mas	marium
vas	vadium.

Sic gentilia: Arpinas Arpinatium.

nox	noctium
nix	nivium
os	ossium
faux	faucium
mus	murium apud Plinium reperi scriptum.

caro	carnium
cor	cordium.

Caetera nomina faciunt plurali genitivo um,

ut

30) genitivi] Editt. 1546., s. a.: genitivis

31) Pars] in Ed. s. a. deest.

32) III.] hic num. ab Editt. 1526., 1529. abest.

33) procerum] in Editt. 1546., s. a. deest.

34) et apium] in lisd. Editt. deest.

Civitas, civitatum, militum, furum, aggerum etc.

Bovum *ἀνώμαλον* est. Alituum pro alitum, epenthesi fecit Poeta.

Dativus et Ablativus

In bus desinunt, ut

Civibus militibus.

Bobus *ἀνώμαλον* est.

Quarta Declinatio.

Continet duas terminationes, us et u, quae neutrorum tantum³⁵⁾ est. Formam declinationis ex Paradigmate cognosces.

Singulariter.

Hic fructus
huius fructus, Veteres etiam fructuis dixerunt.
huic fructui Terentius: Eius anuis causa.
hunc fructum Item, Nihil tumulti, nihil
o fructus ornati, antique dictum est.
a fructu

Apud poetas huic fructu *κατὰ ἀποκοπήν* invenies.

Pluraliter.

hi fructus
horum fructuum Apud poetas invenies pro
his fructibus curruum, currum, *κατὰ*
hos fructus *συναίρεσιν*.
o fructus
a fructibus.

In ubus desinunt haec: artubus, arcubus, portubus, acubus, lacubus, tribubus, verubus, specubus, quercubus, ficubus³⁶⁾; sed in talibus doctorum consuetudo observanda est.

Singulariter.

Hoc cornu, *ἄπτωτον* est in singulari.

huius cornu

huic cornu

hoc cornu

o cornu

a cornu.

Pluraliter.

haec cornua

horum cornuum

his cornibus

haec cornua

o cornua

a cornibus.

Quinta Declinatio.

Unica terminatio est quinti ordinis, es, ut species, fides.

Singulariter.

Haec species
huius speciei e longa est in puris, id
huic speciei est, vocalem ante ei ha-
hanc speciem bentibus³⁷⁾, in aliis bre-
o species vis, ut fidei.
a specie.

Pluraliter.

hae species
harum specierum
his speciebus
has species
o species
a speciebus.

Genitivus, dativus et ablativus in paucis nominibus huius ordinis usurpantur.

Olim ex tertio ordine quaedam hoc modo declinabant, plebes³⁸⁾ plebei. Est id quoque observandum, genitivum contrahi solere in hac declinatione, ut pro diei dicatur die, quod recte scribas diei³⁹⁾ antiqua diphthongo, ut apud Virgilium [Georg. I, 208.]: *Libra diei somnique pares ubi fecerit horas.*

De heteroclitis.

Hactenus analogiam proposuimus, quam pueros animo complecti oportet, ut fingere ex propositis paradigmatis omnium vocum casus atque variationes possint.

Est autem analogia proportio, cum similia inter se conferuntur, nomen factum ab *ἀναλέγειν* reputare atque aestimare⁴⁰⁾, quod videlicet collatione similitudo deprehendatur, et appareat. Superest, ut de anomalis dicamus. Sunt autem perpauca, in quibus usus Latine loquentium discessit ab analogia. *Ῥομάλων* Graecis aequale est. Unde anomala dixerunt ea, quae non quadrarent ad regulam.

37) Ed. s. a. addit h. l. exemplum: ut materiei.

38) plebes] Editt. 1546., s. a.: plebs

39) diei] Editt. 1546., s. a.: diei.

40) ἀναλέγειν — aestimare,] Editt. 1546., s. a.: ἀναλέγομαι, quod significat reputo, confero,

35) tantum] in Ed. s. a. deest.

36) foubus] in Editt. 1546., s. a. deest.

De anomalia ⁴¹⁾ in numeris.

Masculina singularia tantum haec fere recensentur:

Aer	Aether
Vesper	Sanguis
Pulvis	Sol.

Verum hic satius est usum consulere ac sequi. Nam permulta alia sunt, quae vix pluraliter usurpata sunt. Et ex his, quae recensuimus, aliquando pluralia faciunt, ut soles, et pro aestu, et pro diebus.

Foeminina singularia tantum, sunt fere virtutum vitiorumque nomina, ut pax, eloquentia, amicitia, fides, gloria, et similia.

Vita	mors
Soboles	humus.

Et tamen quaedam invenias cum gratia pluraliter elata, ut apud Gellium: Adolescens flabat inanes glorias.

Neutra singularia tantum.

Vulgus	Pelagus	Solum
Senium	Halec	Iustitium
Aurum	Argentum	Coenum ⁴²⁾
Plumbum	Et fructus	Cordum.

Triticum, sal et oleum, et similia ⁴³⁾.

Masculina pluralia tantum.

Antes	Fasces
Annales	Fasti
Cancelli	Fori pro sedilibus
Cani	Inferi
Carceres pro septis	Superi
Casses	Lares
Coelites	Penates
Proceres	Sales, salse dicta.

Foeminina pluralia tantum.

Ambages	Excubiae	Nundinae
Aedes	Exuviae	Tenebrae
Aerumnae	Exequiae	Scopae
Blanditiae	Induciae	Sordes
Bigae	Inferiae	Suppetiae
Compedes	Insidiae	Tricae
Cunae	Illecebrae	Nugae

41) anomalia] sic Ed. 1526.; Editt. 1529., 1546., s. a.: anomalis

42) Coenum] Editt. 1546., s. a.: Lutum

43) similia.] Editt. 1546., s. a.: pleraque vocabula rerum terra nascentium.

Dapes

Delitiae	Litterae pro epistola
Divitiae	Minae
Dirae	Opes
Clitellae	Lactes
Crates	Primitiae
Feriae	Reliquiae
Fores	
Grates	
Genae.	

Calendae a vocando dictae sunt, nam novilunio convocabatur plebs, et pronuntiabatur numerus dierum, qui ad Nonas superessent. Nam Nonis conveniebant populares ex agris in urbem. Graece *καλῶ* est voco.

Nonae, Plutarchus dictas Nonas, quasi neomenias putat, tum enim prodit a coitu Luna, et clare conspicitur.

Idus a dividendo dicuntur. Nam in medium mensem incidunt. Iduare dividere veteribus significabat.

Neutra pluralia tantum.

Arma, castra, crepundia, cunabula, exta, ilia, iusta, moenia.

Et nomina festorum, ut Bacchanalia.

Et pluralis numerus in titulis frequenter usurpatur.

Βουκολικά Γεωργικά.

Quaedam etiam mutant genus in plurali numero.

Masculina in plurali neutra.

Avernus	Averna
Balteus	baltea
Carbasus	carbasa.

Eventus quartae declinationis, in singulari usitatus est. Ovidius [Epist. 2, 85 sq.]:

Careat successibus opto,

Quisquis ab eventu facta notanda putat.

Eventus in plurali. Livius: Nusquam minus respondent eventus quam in bellis.

Eventa apud Ciceronem saepe reperies pro rebus quae accidere ⁴⁴⁾ [Cic. ad Att. IX, 5.]: Causae eventorum magis movent quam ipsa eventa.

Iussus	Iussa
Locus	Loca et loci

44) accidere.] Ed. 1546. acciderunt, Ed. s. a.: accidunt.

Iocus Loci frequentius ⁴⁵⁾
Tartarus Tartara.

Foeminina in plurali neutra.

Intybus, intyba, Wegwart, Plinius hoc intybum dixit. Pascuam substantive non dixerunt veteres, sed pascuum et pascua pluraliter.

Neutra in plurali masculina.

Coelum coeli
Capistrum i et a
Frenum i et a
Rastrum i et a
Porrum i et a
Argos Argi, Graecum.

Hoc specus, hi specus usitate, iuxta Servium.

Neutra in plurali foeminina ⁴⁶⁾.

Balneum balneae et balnea
Epulum epulae.

Deficiunt casibus.

Haec fere nominativo deficient ⁴⁷⁾:

Vicis
Frugis ⁴⁸⁾
Precis

Opis, Composita habent inops.

Vim vi.

Fors et forte dicuntur usitate.

Sponte, Ablativus tantum in usu est.

Ab expes nullum invenias obliquum.

Inficias accusativo tantum dicitur.

Macte vocativo tantum dicitur. Virgilius

[Aen. IX, 641.]: Macte nova virtute puer. Cicero adverbialiter: Macte virtute esto. Plinius, macte ingenio dixit.

Tabi et tabo pro sanie invenias, sine reliquis casibus.

Vas, pluraliter vasa vasorum, nam veteres vasum dixerunt.

Iugerum, singulariter. In plurali in tertium ordinem degenerat, iugera iugeribus. Invenias in singulari et iugere.

Nec ab os, orum aut oribus, aut a mel melibus fit.

45) loci frequentius] Ed. s. a.: loca et loci frequentius

46) Neutra in plur. foem.] sic Ed. s. a.; Editt. 1526., 1529. Foeminina in plurali; Ed. 1546. Neutra quae sunt in plurali foeminina.

47) deficient] ab Editt. 1526., 1529. abest.

48) Editt. 1546., s. a. addunt: Dapis

Dies plurale masculinum est tantum ⁴⁹⁾.

Fas nefas, ἄχλεια.

Quaedam nomina secundo et quarto ordine declinantur. Sunt autem pleraque arborum:

Laurus us et i
Quercus us et i
Cornus us et i
Pinus us et i

Domus.

haec domus
huius domus, et domi adverbialiter
huic domui tantum
hanc domum
a domo tantum ⁵⁰⁾.

Pluraliter.

hae domus tantum
harum domuum et domorum
his domibus tantum
has domos
a domibus ⁵¹⁾.

De Ficu vide genera ⁵²⁾.

Est et hic annotanda Graeca quaedam consuetudo ex casibus novas declinationes pariendi, ut ex genitivo ἄβακος, ab abax, fit abacus abaci, ex accusativo κρατήρα, fit cratera craterae, ex κασσίδα, fit cassida cassidae ⁵³⁾. Et Latini va-

49) Nec ab os — tantum.] haec in Editt. 1546., s. a. desunt.

50) Domus — tantum.] pro his, Editt. 1546., s. a. habent: Domus declinatur secunda et quarta declinatione, Sed non sunt recepti pariter omnes casus utriusque declinationis.

Haec domus.

Huius domus, pro aedificio, ut, iste partem domus demolitus est.

Domus locale est, ut, pater est domi. Sic usurpatur adverbialiter. Interdum tamen et casum addimus, ut, est domi tuae.

Huic domui tantum, Nam in secunda declinatione caret dativo, non enim dicimus, huic domo.

hanc domum

o domus

ab hac domo tantum; caret enim ablativo in quarta declinatione, quare non licet dicere, ab hac domo.

51) has domos, a domibus.] Editt. 1546., s. a.: has domos et domus, o domus tantum, ab his domibus tantum.

52) De Ficu v. gen.] pro his, Editt. 1546., s. a. exhibent: Ficus arbor, foemininum tantum est, secundi et quarti ordinis. Ficus fructus, masculino et foeminino genere, in utraque declinatione usurpatur. Aridae fici, Macrobius. Et ficus virides, Suetonius in Augusto. Eodem modo utuntur pro morbo.

53) ex κασσίδα — cassidae] Ed. s. a.: Ex accusativo κασσίδα, fit cassida.

riant in declinatione talium nominum ⁵⁴⁾ *Λάχης*
Λάχης et *Laches Lachis*.

Quaedam bifariam efferuntur: hic angipor-
tus, et hoc angiportum, tonitrus et tonitru. Ve-
rum haec usus docebit.

Sestertius et sestertium significatione diffe-
runt.

De speciebus nominum.

Hic mihi pauca de nominum speciebus ⁵⁵⁾ di-
cenda sunt, commonendorum puerorum causa.

Sunt enim alia possessiva, ut *Evandrius*,
quae possessionem significant.

Alia denominativa, ut *abiegnus*, *ficulus*,
ferreus, quae saepe materiem significant, non-
nunquam copiam, aut similitudinem, aut formam
significant, ut *vinosus*, *moribundus*, *docilis* ⁵⁶⁾.

Alia diminutiva, *corculum*, *parasitaster*,
quam formam putant imitationem significare.

Alia verbalia, quorum terminationes sunt
Or, ut *Lector*, *Io*, ut *Lectio*, atque hae duae for-
mae fere a supinis veniunt; *Men*, ut *Regimen*,
Tum, ut *Documentum* ⁵⁷⁾.

Alia patronymica, quae gentem aut origi-
nem significant, ut *Priamides*, *Thebais*, *Ilias*,
Nerine.

Sunt autem patronymica omnia Graeca,
ideo nos eorum formationem praetermittimus.
Declinatio ex analogia petatur, donec Graecas
declinationes licebit cognoscere.

Sunt et numeralia, quorum declinationem
oportuit hic inter anomala indicare ⁵⁸⁾.

Masculina.	Foeminina.	Neutra.
Unus	Una	Unum
Unius	Unius	Unius
Uni	Uni	Uni
Unum	Unam	Unum.

Sic et derivata ⁵⁹⁾ declinantur, *ullus*, *nullus*,
uter, *neuter*.

54) Et Latini — nominum] Editt. 1546., s. a.: Variant etiam
Latini in quibusdam graecis nominibus declinandis, quae
desinunt in *es*,

55) nominum speciebus] Editt. 1546., s. a.: speciebus no-
minum

56) docilis.] Ed. s. a.: indocilis.

57) quorum — Documentum.] pro his, Editt. 1546., s. a.
habent: ut *lector*, *lectio*, *regimen*, *documentum*.

58) quorum — indicare.] Editt. 1546., s. a.: quorum decli-
nationem integram voluimus hic adicere, ut esset in
premta et in conspectu pueris.

59) derivata] Editt. 1546., s. a.: derivativa

Masculina.	Foeminina.	Neutra.
Duo	Duae	Duo
Duorum	Duarum	Duorum
Duobus	Duabus	Duobus
Duos, antique	Duas	Duo.

Duo. Si duo praeterea tales *Idaea* tulisset
Terra viros, apud *Virgilium* [*Aen. XI*, 285 sq.].

Sic et ambo declinatur.

Masculina et Foeminina.	Neutra.
Tres	Tria
Trium	Trium
Tribus	Tribus
Tres	Tria.

Caetera ad centum usque non declinantur.

Composita declinantur: *Ducenti*, *Ducentae*,
Ducenta.

Mille adiective non declinatur, substantive
declinatur.

Mille in singulari, omnibus casibus effertur,
Pluraliter, *millia*, *millium*, *millibus*, *millia*.

DE PRONOMINE.

Pronomen est vox, qua utimur in demon-
stranda aut repetenda re, cum nomine uti non
erat commodum ⁶⁰⁾. *Ovidius* [ex *Ponto* *epist. III*,
4, 52.] dixit: *Gratiaque officio*, quod mora tar-
dat, abest. Si exempto pronomine supponas no-
men, sermo et obscurus et inconditus erit, hoc
modo: *Gratia abest officio*, et officium tardat
mora. Et in demonstrando, *Nempe* ut curentur
recte haec.

Accidunt Pronomini: *Species*, *Significatio*,
Genus, *Numerus*, *Figura*, *Persona*, *Casus*.

Sunt autem Pronomina haec: *Ego*, *Tu*, *Sui*,
Ille, *Iste* ⁶¹⁾, *Ipse*, *Hic*, *Is*, *Quis*, *Qui*, *Meus*,
Tuus, *Suus*, *Noster*, *Vester*, *Nostras*, *Vestras*.

Species.

Primitiva sunt: *Ego*, *Tu*, *Sui*, *Ille*, *Iste*,
Ipse, *Hic*, *Is*, *Quis*, *Qui*.

Reliqua sunt derivata ⁶²⁾. Nam a mei geni-
tivo fit *meus*, a nostrum fit *noster*, tuus a tui,
vester a vestri, suus a sui, *Cuius* cuia *cuium*, a
genitivo *cuius*.

60) cum — commodum.] Editt. 1546., s. a.: ubi nominis re-
petitio ingrata erat futura.

61) Iste,] in Ed. s. a. deest.

62) derivata.] Editt. 1546., s. a.: derivativa.

Significatio.

Haec vero in primis est tradenda pueris, nam non raro hic peccatur.

Sunt autem demonstrativa: Ego, Tu, Hic, Iste.

Relativa: Is, Ipse, Qui.

Ille alias demonstrativum est, alias relativum.

Sui vero et suos reciproca sunt, hoc est, ad eandem personam redeunt, quae praecedebat, nam interest inter haec: Pater iubet, ut ad se venias, et, Pater iubet, ut ad ipsum venias. Nam cum relativo ipsum utor, significo alium quendam, non patrem. Bis vincit, qui se vincit in victoria, aliud erit, si dicas: Bis vincit, qui ipsum vincit in victoria. Item: Et sua riserunt saecula Maeoniden, non ipsius saecula. Valla diligenter et utiliter praecepit de usu harum particularum, quem pueri, ubi haec prima elementa perdidicerint, consulant.

Interrogativa: Quis, Cuius, Cuia, Cuium, Cuias?

Possessiva: Meus, Tuus, Suus, Noster, Vester.

Gentilia: Nostras, Vestras.

Genus.

Est in pronomibus perinde, ut in adiectivis nominum. Nam per tria genera vagantur pronomina.

Numerus⁶³⁾.

Numerus⁶⁴⁾ item ut in nominibus.

Figurae.

Simplex, ut ego.

Composita, ut egomet, idem.

Varie autem componuntur pronomina.

Primum inter se, ut isthic.

Secundo, cum adverbis, Eccum, Eccam, pro ecce eum, ecce eam. Ellum, ecce illum. Idem ab is et demum fit.

Tertio, cum syllabicis adiectionibus, met, te, ce, pte.

Met adiicitur omnibus casibus primae et secundae personae, egomet, tutemet.

Te adiicitur voci tu, et te, ut tute, tete.

Ce, pronomini hic, hicce, huiusce.

Pte, ablativis, mea, tua, sua, nostra, vestra, ut meapte, suapte, etc.

Sed in his compositionibus observent pueri consuetudinem emendate loquentium.

Personae.

Tres: Prima Ego, Secunda Tu, Tertia Iste.

Casus.

Idem qui in nomine. Verum vocativi non est usus in omnibus pronomibus. Tu, Meus, et Noster, admittunt vocativos, dicimus enim: mi Virgili, mea Glycerium.

Declinatio est ex Donato petenda, quem semper oportet pueris in manibus esse, ut inde analogiam in declinando ac coniugando discant.

De Articulo⁶⁵⁾.

Obiter hic docendi sunt pueri, quid intersit inter pronomen et articulum. Est enim articulus non qui in Grammatica tantum declinatione casus aut genera indicat, sed quo in sermone etiam certam rem demonstramus⁶⁶⁾. Latinum exemplum proponi nullum potest. Nam Latinus sermo in universum caret articulis, Germani⁶⁷⁾ habent articulos, quemadmodum et Graeci, ἀναρ-θρον est, cum particula ein utuntur: Es ist ein man da. Articulatum est: Ich hab dem man das gelt geben, ἔδωκα τῷ ἀνδρὶ τὸ ἀργύριον. Id Latine non recte vertas: Dedi huic viro hanc pecuniam. Nam praesentem rem, non tantum certam, pronomina demonstrant. Ergo cum Latini utuntur particula Hic in declinando, voluerunt mutuari a pronomine notam casuum et generum, non articulum tradere, quo in loquendo uteremur. Haec committo fidelibus praeceptoribus, ut copiosius explicant. Nec praeter eunda erant propter stultitiam⁶⁸⁾ quorundam Grammatistarum, qui docuerunt⁶⁸⁾ articulum esse apud Latinos.

DE VERBO.

Verbum est vox significans agere aut pati, ut verberare, actio est, passio verberari. Neutra quoque verba propemodum significant passio-

63) Articulo] Ed. s. a.: Articulis.

66) demonstramus.] Editt. 1546., s. a.: significamus.

67) Germani] Editt. 1546., s. a.: Germani vero

68) stultitiam ... docuerunt] Editt. 1546., s. a.: inscitiam ... contendunt

63) Haec inscriptio in Ed. 1526. deest.

64) Numerus] in Ed. 1529. h. l. deest.

nem, ut algeo, frigeo, caleo. Pueri diserte ⁶⁹⁾ observent discrimen nominis ac verbi. Nomen rerum nomenclaturam continet; Verbum actionem et passionem cum discriminibus temporum et personarum.

Accidentia.

Verbo accidunt octo: Genus, Species, Tempus, Modus, Figura, Persona, Numerus, et Coniugatio.

Genera.

Genera sunt significationes verborum. Inde enim cognosci potest, actio sit in verbo, an passio.

Activum desinit in o, et actionem significat, quod ita puer deprehendet. Si commode accusativus, qui personam significat, verbo adiiicitur, activum fuerit, ut Verbero Davum. Non enim dixeris recte: Caleo Davum. Frigeo Phaedriam.

Passivum in or desinit, et passionem significat, quod item deprehendet puer, si ablativus personae recte addi poterit: Verberor ab hero. Non enim recte dicas: Adsentior ab hero. Vocat igitur Priscianus ablativum proprium passivorum casum.

Neutrum in o desinit, et propemodum passionem significat. Verum casum passivorum ⁷⁰⁾ non admittit, ut Caleo, Sedeo. Nam significatio horum non transit in aliam personam. Non enim recte dicas: Sedeo Iulium, vel Sedeor a Iulio, sed Colloco Iulium, et Collocor a Iulio.

Hic observabunt pueri, quaedam neutrae suae significationis accusativos admittere: Aro agrum, Decurro spatium, Bibo vinum. Ab his verbis, cum activam significationem paene induant, fiunt tertiae personae passivae: Aratur terra, Bibitur vinum, nam aror, bibor nemo dixit. Sunt hinc et participia passiva: Decurso spatio, apud Terentium.

Grammatici vocant tria verba neutralia passiva, quae ⁷¹⁾ prorsus significationem et casum passivorum habent, Fio, quod est passivum ἀνώμαλον verbi facio. Veneo a te, id est, vendor a te. Vapulo a te, id est, verberor a te.

⁶⁹⁾ diserte] Editt. 1546., s. a.: diligenter

⁷⁰⁾ casum passivorum] Ed. s. a.: passivorum casum

⁷¹⁾ quae] Editt. 1546., s. a.: quae in o desinentia

Inepte addiderunt exulo, id enim non significat relegari, sed solum vertisse, et patria carere ⁷²⁾.

Commune genus verborum in or desinentium, quae promiscue, alias active, alias passive significant, ut criminor Phormionem, criminor a Phormione. Discrimen significationis indicat constructio, seu casus personae adiectus verbo. Nunc non ita multa numeramus verba communia.

Criminor	Osculor
Adulor	Consolor
Frustror	Dignor
Stipulor	Depeculor ⁷³⁾ .

Cicero Interpretor et Testor passiva significatione usus est, et Terentius: Meditata sunt mihi omnia, passive. Et Ementitum passiva significatione plurimi dixerunt. Venerata sacerdos, apud Virgilium extat. Item, Experta virtus, alibi invenias. Nam vetustissimi Latinorum plura aliquando verba in utraque significatione usurparunt, quam postea in usu fuere. Nam durum fuerit, si dicas, pecunia largitur, pro distribuitur, aut, a me auxiliatus est. Proinde observent hoc in loco pueri, quid probarint aut receperint illi, qui emendate locuti sunt.

Deponentia dicuntur, quae cum in or desinant, tamen alteram significationem deponunt, et aut active significant, ut precor Deum, patior iniuriam, moror te, sequor te, aut neutraliter, ut vaticinor, labor. Significant neutraliter etiam, meo iudicio, nascor, orior.

Habes generum seu significationum in verbis formulas. Sunt autem hic etiam admonendi pueri, pauca quaedam verba efferri per o et or, eadem significatione:

Adsentio	adsentior
Adsensi	adsensus sum
Impertio	impertior
Impertivi	impertitus sum
Comperio	comperior
Comperi	compertus sum, activa

significatione non dixerunt Latini.

Ita iurgo et iurgor, sed posterius usitatius est, et munero apud Macrobius, muneror apud Terentium, et fabricor usitate, apud poetas ali-

⁷²⁾ et patria carere.] Editt. 1546., s. a.: patria carere, ac prorsus significationem neutralem habet.

⁷³⁾ Depeculor.] Ed. s. a. male: Depulor.

cubi fabrico invenias, sicut et populo pro populo, et stabulo pro stabulo, luxurio pro luxurio, praevertor pro praevertor, punior pro punio, apud Ciceronem. Pleraque alia Nonius recenset, varie a vetustissimis Latinorum usurpata, in quibus usus postea repudiavit alteram terminationem. Haec vero etiam significatione differunt, mutuo a mutuor, foenero a foeneror, mereo a mereor, liceo a liceor, de quorum natura in Syntaxi dicemus.

Species seu formae.

Quinque sunt. Prima, unde reliquae cadunt, ut video, nam inde fit viso; edo, nam inde fit esurio ⁷⁴).

Inchoativa, cum verbo adiicitur terminatio sco, ut a luceo fit lucesco. De significatione Valla videtur praeter rem cum Prisciano rixari. Nam aut inchoari ⁷⁵) significant, ut lucescit, der tag bricht an, aut certe gliscere et intendi, ut apud Virgilium [Aen. I, 713.]: Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo.

Fiunt fere a secunda persona, labas, labasco. Pleraque usurpantur pro thematibus, ut hisco, fatisco, unde defetiscor, quod est defatigor.

Ad tertiam coniugationem pertinent, et mutantur praeterita et supina a thematis, ut tumesco tumui.

Quaedam a nominibus cadunt, in quibus est observandus usus scriptorum, a senesco senui, a repuerasco nullum invenias ⁷⁶) praeteritum.

Frequentativa, to, aut so, aut xo, addunt themati, ut agito, pulso, viso, quasso, adfecto, nexo, quae vel assiduitatem vel conatum significant. Sic enim exponunt, viso, eo ad videntum, capesso, eo ad capiendum.

Fiunt a supinis, ut tractu tracto, citu cito, coenatu coenito. Aut a secundis personis, ut arcesso ab ad et cies, unde κατά μετάρθειν fit accerso.

Pleraque primam coniugationem imitantur; quaedam etiam tertiam ⁷⁷), ut facesso, lacesso, quod est a prisco verbo lacio, quod significat

traho. Sunt et in voce passiva, ut sector, scitor ⁷⁸), sciscitor. Huc pertinent etiam vellico, fodico, et similia.

Meditativa seu desiderativa, in rio. Studium enim et voluntatem significant, ut parturio, coenaturio, cacaturio, ad coniugationem quartam pertinent.

Diminutiva, in lo, ut sorbillo. Graeca quaedam forma est, quae ⁷⁹) imitationem significat, ut patrisso, atticisso, quae Graecis ζω desinunt, ut πλατωνίζω. Latini non admodum sunt hac delectati terminatione, unde dixerunt pro graecisso graecor, ita cornicor a cornice, a vulpe vulpinor, a Baccho bacchor. Porro nec in reliquis formis liceat ⁸⁰) nobis temere nova parere, sed usu valent vocabula, sicut nummi. Neque enim ex amatu ⁸¹) amito, ex doctu docto licet fingere. Sed haec monebunt praeceptores. Erant autem hae formae in verbis indicandae, ut et propagationem verborum observarent pueri, et discrimina significationum, si quando ab uno themate plura verba cadunt, ut esito et esurio ab edo.

Tempora.

Haec vero est propria verborum natura, indicare discrimina temporum. Sunt autem quinque, et communi sensu diiudicari possunt.

Praesens, ich kom.

Praeteritum imperfectum, ich kam.

Praeteritum perfectum, ich bin kommen.

Praeteritum plusquamperfectum, ich war kommen.

Futurum, ich werde ⁸²) kommen.

Modi.

Variam voluntatem in actione tradunt. Sunt autem, Indicativus, qui simpliciter fieri aliquid aut non fieri definit. Ideo Graeci δριστικόν, id est, definitivum vocaverunt, ut, probitas laudatur et alget.

Imperativus, quo in imperando utimur ⁸³).

74) Quinque — esurio.] in Editt. 1546., s. a. desunt.

75) inchoari] Editt. 1546., s. a.: inchoationem

76) invenias] Ed. 1529. invenies, Editt. 1546., s. a.: extat

77) imitantur; quaedam etiam tertiam,] Editt. 1546., s. a.: imitantur, ut pulso, adfecto. Sed pauca quaedam tertiam,

78) scitor] in Editt. 1546., s. a. deest.

79) Graeca quaedam forma est, quae] Editt. 1546., s. a.: Est graeca quaedam forma, et quae

80) liceat] Editt. 1546., s. a.: licet

81) amatu] Ed. s. a.: amato

82) ich werde] sic Ed. s. a.; Ed. 1526. ich wurd, Editt. 1529., 1546. ich wird

83) utimur.] Editt. 1546., s. a.: utimur, ut, Nosce teipsum.

Optativus, quo optamus, non definimus, quid fiat. Adeoque degenerat ab indicativo, ut ad absolvendam sententiam fere adsciscat adverbium optandi. Utinam moribus exprimerent Christum mortales, non profanarent impiis disputationibus⁸⁴⁾. Apud Terentium, Ut illum Dii Deaque omnes perdant.

Subiunctivus, ita vocatur, quod nisi subiiciatur alteri orationi, per sese non absolvit sententiam, ut Ita demum florebut urbes, si pueros honestis disciplinis ad virtutem adsuefecerint.

Infinitivus additur aliis modis, unde mutuatur⁸⁵⁾ personam et numerum, ut, Beneficium accipere, libertatem vendere est.

In⁸⁶⁾ modos commode videntur referri posse Supina et Gerundia, de quorum usu ac significatione in Syntaxi praecipiemus.

Gerundia dicta sunt, quod gerere et administrare aliquid significant, ut, surgit ad dicendum.

Supinis videtur nomen inde factum, quod ante se casum non habeant⁸⁷⁾.

Figurae.

Duae: Simplex, ut lego; Composita, ut intelligo. Decomposita vocantur ex compositis nata, ut perterrefacio. Hic pueri mutationes literarum et crases observent, ut afficio, ex ad et facio, cogo, quasi coago, concutio a quatio, successo a quasso, et redeo, d interposita, pro reo, porrigo a porro et rego, portendo a porro et tendo.

De tali mutatione literarum et in praepositionibus et in verbis, praecipitur in orthographia.

Sunt admonendi pueri, quod quorundam compositorum themata non extant: fendo, unde defendo, offendo; specio, unde aspicio etc.; perior, unde experior; pedio, unde expedio; leo, id est, lino, unde deleo. Videntur et a Graecis quaedam nata, ut suffragor a *φράζομαι*, delibero, et impleo a *πλήω*; percello a *κέλλω*, moveo, impello. Quaedam ex nominibus nascuntur, ut pernocto, architector, philosophor, nam et multa simplicia a nominibus oriuntur, ut

84) Utinam — disputationibus.] Editt. 1546., s. a.: Utinam pueri obtemperant praeceptoribus, utinam obtemperant Christo, promittenti huic aetati regnum coelorum.

85) mutuatur] Editt. 1546., s. a.: mutuatur

86) In] Editt. 1546., s. a.: Ad

87) habeant.] Editt. 1546., s. a.: habent.

vesperascit. Ququam autem composita imitentur coniugationem simplicium, ut facio feci, conficio confeci, tamen degenerant aliquando verba, ut a spernere fit⁸⁸⁾ aspernari, et a dare in tertiam migrant composita, a sternere consternare, a specio suspicari, a facio gratificari, a verto revertor et divertor, deponentia⁸⁹⁾.

Personae.

Personas sensus communis discernit. Sunt autem tres: Prima, ego lego; Secunda, tu legis; Tertia, ille legit.

Sunt autem duplicia verba, alia personalia, quae iuxta personas variantur; alia impersonalia, quae unam vocem incertae personae habent, ut legitur, oportet, de quibus infra dicemus.

Numeri.

Singularis, ut lego.

Pluralis, ut legimus.

Coniugationes.

Quatuor sunt. Primae character est a longa in infinitivo, ut beare; Secundae e longa, ut docere; Tertiae e brevis, ut condere; Quartae i longa, ut condire.

Est autem analogia in coniugatione facilis, et quae nullo negotio ex Donato cognosci possit. In praeteritis et supinis est varietas, quae diligenter est pueris perdiscenda. Nisi enim coniugationem tanquam digitos unguisque suos norint exactissime, non raro in medio sermone resistant et obmutescent, cum commutare pro sententiarum varietate verborum casus non poterunt. Quaedam verba veteres varie coniugarunt, ut strido stridis, et strideo strides, potior potiris potitur, in quarta i longa, et potitur, in tertia i brevi, hinc potiri dicimus, et oriri oriris, quarti ordinis; sunt reliqui casus fere tertii. Non enim dicimus oritur i longa. Sic et vetustissimi morior varie coniugarunt, nunc tertio tantum⁹⁰⁾ ordine flectitur.

Porro praeteriti indicativi casum imitantur praeterita in aliis modis, futurum etiam coniunctivi. Iam et hoc monendi sunt pueri, quod si

88) fit] ab Ed. s. a. abest.

89) divertor, deponentia] Editt. 1546., s. a.: divertor sunt deponentia.

90) tantum] sic Editt. 1546., s. a.; Editt. 1526., 1529. tamen

praeterita simplicium geminent primam syllabam, in compositis id non observetur⁹¹⁾, ut caedo caecidi, occido occidi. Verum haec in compositis etiam geminant primam syllabam Do, circumdedi; Sto, restiti; Disco, dedidici; Posco, depoposci; Pungo, repupugi. A curro non geminata reperio.

De praeterito primae coniugationis.

Avi character est praeteriti primae coniugationis, ut,

Amo amavi.

Excipe:

Do dedi Sto steti
Iuvo iuvi Lavo lavi.

Nam veteres coniugarunt etiam lavo lavis lavere, tertio ordine.

Cubo cubui Crepo crepui
Domo domui Frico fricui
Seco secui Mico micui; sed composita dimicavi, emicui
Sono sonui
Tono tonui Veto vetui
Plico plicui; sed adplicavi dixit Cicero.

A do primi ordinis sunt, circumdo, pesundo, venundo, caetera tertii.

A cubo, cum m adiscunt, fiunt tertii ordinis, ut, accumbere etc.

De supino.

Atum character est supinorum, ut, amatum, fit enim a praeteriti terminatione avi.

Quae non faciunt praeteritum per avi, sic faciunt supina:

Datum brevi a, Statum brevi a, Iutum.

Lautum et lotum veteri consuetudine, sicut plostrum et plaustrum.

Cubitum Crepitum
Domitum Frictum.
Sectum Mico caret supino, sed dimicatum dicimus in composito.
Sonitum
Tonitum Vetitum
Plicatum et in compositis plicatum, ut implicatum.

A neco necatum in simplici, enectum in composito invenias.

91) observetur] Editt. 1546., s. a.: observatur

A regula variat et potum pro potatum, quidam pro potavi et potus sum⁹²⁾ in praeterito faciunt a potō, sed potus sum, meo iudicio, simpliciter passivum est, potum activum⁹³⁾, tametsi veteres absolute etiam pro bibi dixerunt potavi. Extant exempla apud Plautum.

Passiva et deponentia mutantur praeterita a participiis, quae fiunt ex supinis, in quibus est sequenda analogia, ut medicor medicatus sum, miror, miratus sum.

Formula coniugandi extat apud Donatum.

De secunda coniugatione.

Praeterita⁹⁴⁾ fere per ui duas syllabas fiunt, ut doceo docui. Supina fiunt regulariter per itum, a terminatione ui, ut habui, habitum. Excipe doctum a docui, tentum a tenui, censum a censui, cassum a carui. Carent autem supinis neutra pleraque. Nos, ut exceptiones facilius venari possint pueri, per omnes terminationes vagabimur.

BEO.

Iubeo iussi iussum.

Nam in si praeterita, sum fere faciunt supinis.

Sorbeo sorbui vel sorpsi. Cicero: Sanguinem civilem exorbuat. Sorptum in supinis compositis.

CEO.

Luceo luxi, sine supino.

Polluceo polluxi.

Mulceo mulsi mulsum. Gellius permulcti fecit, libro primo, capite 15.

DEO.

Ardeo arsi, sine supinis

Rideo risi risum

Suadeo suasi suasum

Video vidi visum

Sedeo sedi sessum

Strideo stridi, sine supino

92) quidam — sum] Ed. s. a.: quidam et potus sum pro potavi

93) passivum est, potum activum.] Editt. 1546., s. a.: passivum est, ut apud Ovidium [Fast. III, 541 sq.]: Occurrit nuper, visa est mihi digna relatu
Pompa, senem potum pota trahebat anus.
Poto activum est,

94) Praeterita] Editt. 1546., s. a.: In secunda coniugatione praeterita

Pendeo pependi, sine supino
 Spondeo spondi, Respondeo respondi
 Tondeo totondi, Detondeo detondi
 Mordeo momordi
 Prandeo prandi et pransus sum, nam
 duplici figura hic usi sunt Latini. Sic et coenavi
 et coenatus sum a coeno⁹⁵),
 Audeo ausus sum
 Gaudeo gavisus sum.
 Haec prorsus mutuantur praeterita a voce
 passiva.

GEO.

Si l ante g⁹⁶) praecedat, si faciunt, ut
 Algeo alsi sine supino
 Indulgeo indulsi indultum
 Fulgeo fulsi. Persius [Prolog.
 19.]: Si spes refulserit nummi.
 Mulgeo mulsi, apud Virg. in Geor-
 gicis [III, 400.]: Quod surgente die mulsera hor-
 risque diurnis.

Supinum mulctum est, quod videtur a mulxi
 cadere. Verum ea vox caret autore. Mulcta a
 supino huius verbi nasci videtur.

Turgeo tursi sine supino
 Urgeo ursi sine supino.

Haec xi habent:

Augeo auxi auctum.
 Frigeo frixi et frigui,
 Refrigesco refrixi.
 Lugeo luxi luctum.

Sugo et tergo ad tertiam coniugationem
 refero, tametsi veteres secunda etiam declina-
 verint.

LEO.

Fleo flevi fletum.
 A leo levi, ut deleo delevi deletum.
 A pleo plevi, ut impleo implevi impletum.
 Oleo olui. Horatius [Epist. I,

19, 5.]:

Vina fere dulces oluerunt mane Camoenae.
Κατ' ἀναλογίαν facit supino olitum⁹⁷), sed au-
 tore caret. Oletum⁹⁸) nomen extat apud Per-

95) a coeno,] Editt. 1546., s. a. addunt: et significant active
 utraque.

96) Si l ante g] sic Ed. s. a.; Editt. 1526., 1529. Si l ante
 o, Ed. 1546. Si l aut r ante geo

97) supino olitum,] Ed. 1546. supinum oletum; Ed. s. a.:
 supinum olitum,

98) Oletum] sic Editt. 1546., s. a.; Editt. 1526., 1529
 Olitum

sium [I, 112.] pro stercore, quod certe ex supino
 oletum videtur natum.

Composita variant.

Adolevi, apud Virgilium adultum.
 Obsolevi, apud Ciceronem obsoletum,
 Cic. [pro Quint. 18, 56.]: Vulgaria et obsoleta.
 Abolevi, apud Livium abolitum, et ab-
 oletum apud Ciceronem.
 Exolevi, apud Plinium exoletum.
 Inolevi, inolitum.
 Obolevi, apud Suetonium obolitum.
 Redolui.
 Subolui.
 Soleo solitus sum, ἀνώμαλον.

NEO.

Neo nevi netum
 Maneo mansi mansum.
 Contra imminui et eminui faciunt Grammatici.

QUEO.

Torqueo torsi tortum.
 Liqueo, regulare est licui. Ovidius [Met.
 VII, 381. Trist. III, 10. 15.]: Delicuit.

REO.

Haereo haesi haesum.
 Mereo pro milito, regulare merui, et su-
 pinum⁹⁹) meritum.
 Moereo prima longa, moestus sum, ἀνώ-
 μαλον.

VEO.

Caveo cavi cautum
 Foveo fovi fōtum
 Voveo vovi votum
 Moveo movi motum
 Paveo pavi, sine supinis
 Ferveo ferbui, et fervi a fervo.
 Languo regulare est langui¹⁰⁰)
 Sic pinguesco.
 Conniveo connixi.
 Vieo vievi, flecto, vietum pen-
 ultima brevi fecit Horatius [Epd. 12, 7 sq.]:

Qui sudor vietis et quam malus undique membris
 Crescit odor.

Cieo civi, a cio cis cire; nam et secundo et
 quarto ordine usi sunt Latini. Sed a cieo fit

99) supinum] Editt. 1546., s. a.: supinis

100) langui] Editt. 1546., s. a.: languē tribus syllabis,

breve supinum, citum, ut [Ovid. ep. ex Ponto IV, 2, 35 sq.]:

Excitat auditer studium, laudataque virtus
Crescit, et immensum gloria calcar habet.

Passiva praeterita fiunt a supinis, ut doctus sum, tortus sum. Verum quae supinis carent, iis desunt praeterita passiva, ut verbi urgeor nullum est praeteritum. Sic et verbi medeor, nisi a medicor mutuemur.

Misereor facit misertus sum.

Mereor ἀνώμαλον¹⁾ merui et meritus sum.

Reor ratus sum.

Fateor fassus sum, Confiteor confessus sum.

Tueor tuitus sum. Tuor et tutus

pro participio videntur antiquata.

Formula coniugationis est ex Donato petenda.

De tertia coniugatione.

In tertia coniugatione non est unus aliquis character praeteritorum, ut in superioribus ordinibus, sed singulae terminationes suos quosdam characteres, suasque formulas, easque varias, habent. Proinde ordine omnes terminationes proponemus.

BO.

Cum longa vocalis postremam syllabam antea, praeteritis fit psi, ut nubo nupsi, scribo scripsi. Ptum supinis fit²⁾, ut nuptum, scriptum. Caetera bi faciunt, ut bibo bibi, scabo scabi. Composita a cubo imitantur praeteritum simplicis, ut incumbo incubui. Supra monuimus, in tertia coniugatione composita huius verbi m adsciscere. Tum supinis fit, ut lambitum.

CO.

Haec in ci praeterita faciunt, sed varie. Variant et supina.

Vinco	vici	victum.
Parco	peperci et parsi	parsum
Posco	poposci sine supino	
Disco	didici sine supino	
Ico	ici	ictum.

Haec in vi syllabam desinunt:

Pasco	pavi	pastum
Cresco	crevi	cretum, quo tamen in simplici non utuntur.

1) ἀνώμαλον] ab Editt. 1546., s. a. abest.

2) Ptum supinis fit,] Ed. 1546. Supina fiunt per ptum, Ed. s. a.: Supina fiunt in ptum,

Quiesco	quievi	quietum
Consuesco	consuevi	consuetum
Nosco	novi	notum
Agnosco	agnovi	agnitum. Sic cognosco ³⁾ .
Scisco	scivi	scitum, mutuatur praeteritum a themate, sicut alia inchoativa.
Senesco	senui, nam fingendum est thema seneo.	
Glisco	caret praeterito et supino ⁴⁾ .	
Dico	dixi	dictum
Duco	duxi	ductum
Compesco	compescui, duabus syllabis.	

DO.

Si longa vocalis praecedat, praeteritum fit per si, supina per sum⁵⁾, nam et di et si mutantur in supinis in sum.

Rado	raſi	rasum
Ludo	lusi	lusum
Cudo	cudi	cusum
Rudo	rudi, facit sine supino.	
Divido	divisi	divisum
Fido	fisis sum.	

Caetera di finiunt.

Pando	pandi	passum
Scando	scandi	scansum
Ascendo	ascendi	ascensum, Sic caetera composita.
Mando	mandi	mansum
Strido	stridi, sine supino.	
Prehendo	prehendi	prehensum
Defendo	defendi	defensum
Offendo	offendi	offensum
Tendo	tetendi	tentum et tensum.
Ostendo	ostendi	ostentum, et ostensum, sed posterius usitatius est.
Accendo	accendi	accensum
Tundo	tutudi	tunsum et tusum

3) agnitum. Sic cognosco.] Editt. 1546., s. a.: agnitum, penultima brevi.

Cognosco cognovi cognitum, penultima brevi.
Ignosco ignovi ignotum, penultima longa, retinet enim litteram simplicis.

4) Editt. 1546., s. a. addunt: Conquinisco, vetus et exoletum verbum, facit conquexi, et significat caput inclinare.

5) supina per sum] sic Ed. s. a.; in Editt. 1526., 1529. desunt. Ed. 1546. pro „praecedat, praeteritum — per sum”, habet haec: praecedat, ultimam syllabam do, praeteritum fit per si, Caetera di finiunt. Omnia in supinis sum faciunt,

Contundo	contudi	contusum, sic caetera composita.
Pendo	pependi	pensum
Suspendo	suspendi	suspensum
Fundo	fudi	fusum.
Findo	fidi	fissum.
Scindo	scidi	scissum
Edo	edi	esum
Comedo	comedi	comesum et comestum. Sic composita a themate variant.
Pedo	pepedi, sine supino.	

A sido Priscianus nullum dicit extare praeteritum.

A do composita geminant primam syllabam praeteriti:

Condo	condidi	conditum
Reddo	reddidi	redditum.

Sed abscondo abscondi absconditum, nam in secunda Philippica [42, 108.] Ciceronis est absconditi. Fecerunt et absconsum, ego id non memini me legere.

Cedo (sine diphthongo) cessi cessum.

Cado cecidi, media brevi, casum.

Unde unum tantum compositum extat, occasus. Caetera a cado, supina aut verbalia non faciunt.

Caedo (cum diphthongo) caecidi, media longa, caesum.

Sic occido occidi occisum.

GO.

Plerisque omnibus praeterita fiunt per xi.

Cingo cinxi, cinctum, nam xi in ctum mutatur.

Rego	rexii	rectum
Pingo	pinxi	pictum, n abiicit.
Fingo	finxi	fictum, n abiicit.
Tingo	tinxi	tinctum
Figo	fixi	fixum.

In his gi praeteriti character est:

Ago	egi	actum, sic et composita,
Cogo	coegi	coactum
Frango	fregi	fractum
Effringo	effregi	effractum
Lego	legi	lectum
Colligo	collegi	collectum ⁶⁾ .

Sed tria a lego composita xi habent:

Negligo	neglexi	neglectum
Intelligo	intellexi	intellectum

⁶⁾ Editt. 1546., s. a. addunt: Eligo elegi electum.

Diligo	dilexi	dilectum
Tango	tetigi	tactum
Pungo	pupugi et punxi	punctum.
Expungo	expunxi tantum, expunctum.	
Pango	pepigi et panxi, pactum, est idem quod figo, natum a Graeco verbo <i>πηγνίω</i> videtur. Unde et clavum pangere Livius dixit, et Columella malleolos pangere, et depactam quercum Plinius.	

Impingo imegi,
Scribit enim Priscianus a pango etiam pegi praeteritum fuisse.

Quae habent r ante go, faciunt per si praeteritum.

Mergo	mersi	mersum
Spargo	sparsi	sparsum

Sed a rego composita imitantur thema:

Surgo	surrexi	Pergo	perrexi.
-------	---------	-------	----------

HO.

Xi praeteriti character est, ctum supini.

Veho	vexi	vectum
Traho	traxi	tractum.

LO.

Mutatur in lui in praeteritis, Supina *ἀναλογικῶς*.

Colo	colui	cultum
Consulo	consului	consultum
Occulo	occului	occultum
Molo	molui	molitum
Alo	alui	alatum et altum
Volo	volui	sine supino.

Quae geminant l, nonnihil variant.

Vello velli et vulsi, Lucanus [Phars. IX, 765.]:
Avulsitque manu, telumque affixit arenae. Supino avulsum.

Fallo	fefelli	falsum
Pello	pepuli	pulsum
Depello	depuli	depulsum
Percello	perculi, percussit, percussum ⁷⁾ .	
Excello	excellui excelsum, autore Prisciano.	

⁷⁾ perculi, percussum] Ed. 1546.: perculi, et apud Terentium in Andria percussit: Percussit illico animum. Supinum est percussum. Ed. s. a.: perculi, et apud Terentium in Andria percussit: Percussit illico animum, etiam emendatiora exempla legunt, percussit, sicut Cicero quoque loquitur pro Milone, et 12. epist. lib. 3. ad Attic. Supinum est percussum.

Tollo sustuli sublatum ⁸⁾, ἀνάμαλον
Psallo psalli, sine supino.

MO.

Praeterita desinunt in ui duas syllabas, si vocalis ante mo brevis in themate fuerit, in itum supina fiunt.

Gemo gemui gemitum.

Excipe:

Emo emi emptum, et composita.
Redimo redemi redemptum
Premo pressi pressum.

Cum longa vocalis in themate praecedat ultimam syllabam, praeterita in psi fiunt, supina in ptum.

Sumo sumpsi sumptum
Como compsi comptum
Sic et demo dempsi demptum.

NO.

Praeterita desinunt in vi unam syllabam, supina in tum.

Sterno stravi stratum.
Sino sivi situm
Lino levi litum,

apud Terentium relevi. Veteres etiam lini dixere, et a linire, quod reperimus in multis locis usurpatum esse pro linere, linivi.

A cerno veteres crevi pro vidi usurparunt, id nunc repudiat usus.

Excipe:

Cano cecini, unde composita degenerant:
Succino succinui, Occino occinui.
Et pono posui positum
Temno tempsi temptum
Gigno genui genitum.

PO.

Cum l aut r anteit postremam syllabam, praeterita fiunt in psi, supina in ptum.

Carpo carpsi carptum
Repo repsi reptum.

Excipe:

Rumpo rupi ruptum
Strepto streptui streptum.

⁸⁾ sustuli sublatum] sic Ed. s. a.; Editt. 1526., 1529., 1546.: tuli latum

QUO.

Liquo liqui lictum
Coquo coxi coctum.

RO.

Praeterita desinunt in vi unam syllabam, supina in tum, nam vi simpliciter κατ' ἀνάλογίαν in tum mutari solet.

Tero trivi tritum
Quaero quaesivi quaesitum
Sero sevi satum, non serui,
quam vocem tamen quaedam composita retinuerunt, usurpatam etiam in simplici verbo a vetustissimo.

Insero inserui insertum, cum significat admisceo, interpono, ut Tibullus [I, 1, 88.]: Et rixas inseruisse iuvat. Sic dicimus: Homeri poemati quidam nothi versus inserti sunt. Prophetis libris apocrypha quaedam scripta inserta sunt. Dicuntur autem, ut hoc obiter moneamus, apocrypha, occulta, non, ut vulgo putant, incerti auctoris, seu ἀδέσποτα, sed quod illis publice in templis non licebat uti. Nam in docenda religione ⁹⁾ nolebant admisceri humana scripta. Itaque commentarios hominum non recipiebant in templa, nec auctoritatem illorum valere voluerunt, et iusserunt apocrypha esse, id est, latentia, non publica, non recepta scripta.

Insero insevi insitum, cum significat impffen, ἐμφυτεύειν.

Consero conserui consertum, pro commisceo.
Consero consevi consitum, beseen.
Ab obsero obsitum extat.

Caetera composita non habent duplex praeteritum:

Desero deserui desertum
Exero exerui exertum tantum.

Ovidius I. Fastorum [vss. 297—308.]:

Foelices animae, quibus haec cognoscere primum,
Inque domos superas scandere cura fuit.
Credibile est illos, pariter vitilisque iocisque
Altius humanis exeruisse caput.
Non Venus et vinum sublimia pectora fregit,
Officiumve fori, militiaeve labor.
Nec levis ambitio, perfusaque gloria fuco,
Magnarumque fames sollicitavit opum.
Admovere oculis distantia sidera nostris,
Aetheraque ingenio supponere suo.

⁹⁾ in docenda rel.] sic Editt. 1546., s. a.; Editt. 1526., 1529. docenda in religione

Sic petitur coelum, non ut ferat Ossan Olympus,
Summaque Peliaus sidera tangat apex.

Adsero adserui adsertum.

Variant a regula:

Gero gessi gestum
Uro ussi ustum
Curro cucurri cursum
Verro verri versum.

Apud Catonem: Villam converse mundeque
habeat.

Furo caret praeterito et supino ¹⁰⁾.

SO.

Ivi fit in praeteritis, itum in supinis.

Lacesso lacessivi lacessitum, longa
penultima.
Accerso accersivi accersitum.

Excipe:

Viso visi visum
Incesso innessi, apud Livium: Incesserat,
quod certe ab incessivi fieri non potuit.
Facesso facessi, sine supino.
Capesso capessi, sine supino.
Pinso pinsi ¹¹⁾ pistum.

TO.

In plerisque praeteritis character est ui duae
syllabae.

Meto messui messum
Sterto stertui, sine supino.
Necto nexui et nexi nexum
Pecto pexui et pexi pexum,
Nam terminatio xi in praeteritis κατ' ἀναλογία
parit xum in supinis.

Excipe:

Flecto flexi flexum
Plecto plexi, sed usurpari desiit.
Verto verti versum
Peto petivi petitum
Mitto misi missum.

Sisto mutuatur a statuo praeteritum statui.
Gellius dicit stiti praeteritum huius verbi fuisse.

Composita imitantur praeteritum verbi sto,
resisto restiti ¹²⁾.

10) Furo — supino] Editt. 1546., s. a.: Furo dissyllabum
est, caret praeterito et supino. Sed mutuatur insanitum
(Ed. s. a.: Sed mut. insanivi et insanitum).

11) pinsi] Ed. s. a.: pinsui

12) Editt. 1546., s. a. addunt: consisto constiti, sicut consto.

VO.

Vo syllaba mutatur in vi syllabam in prae-
terito.

Volvo volvi volutum
Solvo solvi solutum.

Excipe:

Vivo vixi victum.

XO.

Texo texui textum.

Nec enim sunt alia huius terminationis.

CIO.

Ci praeteriti character est, ctum supini.

Facio feci factum
Iacio ieci iactum.

Sic et composita:

Reficio refeci refectum
Adiicio adieci adiectum.

Facio cum nominibus aut adverbis compo-
situm non mutat a, ut, calefacio, benefacio.

A specio, despicio despexi despectum.

Sic alia composita.

A lacio, allicio allexi allectum. Sed elicio
eliciui facit. Livius: Ad colloquium vatem eli-
cuit, et elicium supinum, Lucanus [Phars. IX,
932.]: Virus elicium iussumque exire repugnat.

DIO.

GIO.

Di, gi, characteres sunt praeteritorum.
Fodio fodi fossum
Fugio fugi fugitum.

PIO.

Ui duae syllabae, character praeteriti est.
Rapio rapui raptum
Sapio sapui, sine supino.

Excipe:

Capio cepi captum
Cupio cupivi cupitum.

RIO.

Pario peperi partum.

TIO.

Quatio quassi quassum.

Inde composita:

Incutio incussi incussum
Percutio percussi percussum.

UO dissyllabum.

Uī duae syllabae, character est praeteriti, tam supini.

Arguo	argui	argutum
Imbuo	imbui	imbutum.

Excipe:

Struo	struxi	structum
Fluo	fluxi	fluctum
Ruo	rui rutum et ruitum facit.	
Pluo	plui et pluvi veteres fecere.	

Supini in compositione usus est eomplutum.

Praeterita et supina iuxta has regulas, quas recensuimus, variant, reliqua tempora *κατ' ἀναλογίαν* declinabis, iuxta formulam verbi lego, quae in Donato extat.

Passiva (ut supra) mutantur¹³⁾ a participiis praeterita, ut legor lectus sum, Extat et horum formula apud Donatum¹⁴⁾.

Imitantur formulam passivorum deponentia, quae adscribemus, ne procul cogantur quaerere pueri.

Ex supinis finguntur participia et praeterita. Supina vero in singulis terminationibus qualia fiant, in regulis superioribus adparet, verum nonnulla etiam praeterita discedunt ab analogia.

Adipiscor adeptus sum; nam Varro dicit esse a veteri verbo apiscor, unde fit aptus.

Amplector amplexus sum. Sic caetera composita.

Comminiscor commentus sum.

A reminiscor nullum extat praeteritum.

Comperior activa voce¹⁵⁾ praeteritum comperi facit.

Defetiscor defessus sum, a fatisco.

Divertor diverti activa voce praeteritum facit.

Expergiscor experrectus sum.

Fruor fruitus sum, et fructus: inde et fructus est.

Fungor	functus sum	
Grador	gressus sum.	Sic composita,
	Aggredior aggressus sum	

Irascor iratus sum

Labor lapsus sum

Loquor locutus sum

Morior mortuus sum

Nascor natus sum

Nanciscor nactus sum

Nitor nisus vel nixus sum.

Obliviscor oblitus sum, penultima longa.

Pator passus sum

Paciscor pactus sum

Proficiscor profectus sum

Queror questus sum.

Revertor reversus sum, et reverti apud Ciceronem.

Sequor secutus sum

Ulciscor ultus sum

Utor usus sum.

Vescor, Liquor, carent praeteritis.

De quarta coniugatione.

In quarta coniugatione praeteriti character ivi est, supini itum, penultima longa, ut, audivi, auditum. Syncopeam admittit praeteritum, audii audisti.

Cio civi citum

Suffio suffivi suffitum, quod cum a fio videatur esse factum, tamen illi dissimile est in coniugando.

Sed a regula quaedam verba in hac coniugatione variant.

Venio veni, priore longa, ventum.

Vincio vixi vinctum.

Sancio sanxi et sancivi, sanctum et sancitum.

Farcio farsi fartum, et compositum

Refercio refersi refertum

Fulcio fulsi fultum

Haurio hausi haustum

Sentio sensi sensum

Sepio sepsi septum

Sepelio sepelivi sepultum

Salio salii et salui saltum, nam salivi vix usquam apud autores invenias¹⁶⁾.

Aperio aperui apertum

Operio operui opertum

Reperio reperi repertum.

Ab ambio est ambitus, penultima longa participium, Ovidius [Met. I, 37.]:

Iussit et ambitae circumdare littora terrae.

13) mutantur] Ed. s. a. male: mutantur

14) Editt. 1546., s. a. addunt: coniugatio verbi legor.

15) activa voce] Editt. 1546., s. a.: aumptum a voce activa,

16) vix usquam — invenias.] Editt. 1546., s. a.: nusquam apud autores reperitur.

Et nomen, penultima brevi. Lucanus in primo [vs. 179 sq.]:

Letalisque ambitus urbi,
Annua venali referens certamina campo.

In aliis, verbi eo, supinum itum, breve est.

Hic etiam monendi sunt pueri, in praeterito imperfecto verbi eo, ibam dici, non iebam, sicut audiebam. Et futurum geminum est, eam et ibo.

Formula coniugationis extat apud Donatum.

Passiva mutuantur praeterita perfecta, ut in aliis, a participiis, ut auditus sum.

Et cum a supinis illa participia nascantur, memineris hic supini regularem vocem itum esse, et ad hanc formam deponentia coniugato.

Largior largitus sum.

Excipe:

Metior	mensus sum
Ordior	orsus sum
Orior	ortus sum.

Sed est inde etiam oriturus participium *ἀνώμαλον*, degeneratque hoc verbum in tertiam coniugationem aliis casibus, praeter oriri et oriris. Verum Ovidius [Met. X, 166.] etiam oreris fecit:

Tu quoties oreris, viridique in cespite flores.

Quam potuimus, brevissime complexi sumus formulas praeteritorum et supinorum. Superest nunc, ut usu loquendi faciant eas sibi pueri familiares. Nam in sermone coget eos res ipsa observare varietatem temporum et casuum, quam deprehendent facilius, si in Germanico sermone eandem varietatem temporum in verbis animadverterint. Sunt autem, ut Donatus etiam docet, duae voces supinorum, um et u, lectum et lectu. Est autem in utraque voce infinitivi significatio, quo contenti Graeci, nulla habent supina, ut, venio spectatum, id est, venio spectare. Posterior vox passive significat, digna res auditu, id est, digna audiri, facile dictu, facile dici, iucundum lectu, id est, legi, seu cum legitur.

Est et casus in verbis, quae gerundia vocant, quae in¹⁷⁾ participia quidam referunt. Sed quia post se casum activorum regunt, non sunt germana participia. Sunt autem tres tantum voces, legendi, legendo, legendum. Eaque simpliciter habent significationem infinitivi. Et

17) in] Ed. s. a.: inter

quia infinitivi significationem sine temporibus saepe cum nominibus coniungi, aut pro nomine usurpari res cogit, et casum, tanquam in nomine, requirebat sententiae strictura, utiliter inventa sunt gerundia, ut, Discendi causa eo in ludum literarium. In discendo magnam voluptatem capiunt boni pueri. Ad discendum hortatur pater. Ne Graeci quidem plane carere gerundiis potuere¹⁸⁾, ideo et ipsi tanquam gerundia facturi, addidere casus articulorum infinitivis, ut, *ἐν τῷ μὴ φρονεῖν ἡδιστος βίος*, Et, *ἐκ τοῦ φιληθονεῖν γίγνεται τὸ δυστυχεῖν*.

Sunt et anomala verba, quorum quaedam supra recensuimus, ut, Gaudeo, gavisus sum.

Fio, fiebam, factus sum, fiam, Infinitivo fieri.

Prandeo pransus sum.

Moereo moestus sum.

Et alia quaedam similia, ut, eo, ibam, ibo.

Et in compositis:

Veneo¹⁹⁾, venibam, venibo, a venum et eo.

Nequibam, contra morem, quartae coniugationis.

Sunt autem in anomalis et haec, quae Donatus coniugavit: Sum, Volo, Fero, cum compositis.

Adsum, ades, aderam, adfui²⁰⁾, adero.

Possum, potes, poteram, potui²¹⁾, potero.

Malo mavis mavult, malumus mavultis malunt. Imperfecto, malebam. Perfecto, malui²²⁾. Futuro, magis volam. Imperativo, malis. Infinitivo, malle. Sine participio.

Et, Nolo, non vis, non vult, nolumus, non vultis, nolunt. Imperfecto, nolebam. Perfecto, nolui. Futuro, non volam. Infinitivo, nolle. Extat hinc participium nolens.

Edo²³⁾.

Edo, es, est. Virgilius [Aen. IV, 66.]: Est mollis flamma medullas.

Pluraliter, edimus, editis, edunt.

18) potuere,] Editt. 1546., s. a.: potuerunt,

19) Veneo,] sic Editt. 1546., s. a.; Editt. 1526., 1529. Venio,

20) adfui,] Ed. s. a.: adfui, adfueram,

21) potui,] Editt. 1546., s. a.: potui, potueram,

22) Ed. s. a. addit: Plusquamperfecto, malueram.

23) Haec inscriptio ab Ed. s. a. abest.

Coniugatur et ἀναλογικῶς.

Edo, edis, edit.

Imperfecto, edebam.

Perfecto, edi.

Futuro, edam.

Imperativo, es, edat. Pluraliter, este, edant.

Futuro, esto tu, esto ille. Pluraliter, edamus, estote, edunto.

Optativo, utinam essem, et ἀναλογικῶς ederem.

Perfecto, edissem.

Futuro, edam.

Coniunctivo, cum edam.

Imperfecto, cum essem.

Perfecto, cum ederim.

Futuro, cum edero.

Infinitivo, esse et edere.

Perfecto, edisse.

Futuro, esum ire, et esurum esse.

Gerundia, edendi, edendo, edendum.

Ovidius [Art. am. III, 755—758.]:

Carpe cibos digitis, est quidam gestus edendi,

Ora nec immunda tota perunge manu.

Neve diu praesume dapes, sed desine citra,

Quam cupias paulo, quam potes esse minus.

Aio.

Indicativo praesenti, aio, ais, ait. Pluraliter, aiunt.

Imperfecto, aiebam. Caetera desiderantur.

Salve.

Imperativo, salve. Pluraliter, salvete.

Sic Ave et Vale declinantur, cum sunt salutandi verba.

Infinitivo, salvere. Suetonius in Galba [c. 4.]: Veterem civitatis exoletumque morem, ac tantum in domo sua haerentem, obstinatissime retinuit, ut liberti servique bis die frequentes adessent, ac mane salvere, vesperi valere sibi singuli dicerent.

Ausim.

Subiunctivo, ausim, ausis, ausit. Pluraliter, ausint.

Caetera desiderantur.

Cedo.

Ea sola vox pro dic aut porrige extat.

Cedo dexteram, apud Terentium.

MELANTH. OPER. VOL. XX.

Faxo.

Futurum est indicativi, faxo pro faciam.

Et subiunctivo, faxim, faxis, faxit. Pluraliter, faxint.

Forem.

Optativum, forem,* fores, foret. Pluraliter, forent.

Infinitivo futuro, fore.

Inquio et inquam.

Indicativo, inquio et inquam, inquis, inquit.

Pluraliter, inquiunt.

Perfecto, inquisti, inquit.

Imperativo, inque, inquit.

Infit.

Ea una vox usurpatur pro ait.

Quaeso.

Quaeso et quaesumus. Caetera desiderantur.

Memini, odi, coepi.

Praesentis et praeteriti significationem habent una voce.

Praeterito, memini, meministi, meminit.

Pluraliter, meminimus, meministis, meminuerunt.

Plusquamperfecto, memineram.

Imperativo, memento.

Pluraliter, mementote.

Optativo, utinam meminissem, meminisses, meminisset etc.

Subiunctivo, cum meminierim, meminieris, meminierit.

Futuro, cum meminero²⁴⁾, quo et indicativi futuri significatione utimur.

Infinitivo, meminisse.

Sic odi, et coepi²⁵⁾, pro incipio.

Grammatici his etiam verbum Novi addiderunt, quod, quanquam a nosco est, tamen praeteriti voce habet praesentis significationem. Verum haec tria, Odi, Coepi, et Novi, etiam Imperativum desiderant.

De Impersonalibus.

Personalia dicuntur, quibus certae personae nominativus praeponitur, ut, ego scribo, tu

24) meminero] Ed. s. a.: meminero eris erit etc.

25) coepi,] sic Ed. s. a.; Edit. 1526., 1529., 1546. coepi,

legis. Antonius Imperator occidit Papinianum, nolentem excusare parricidium.

Impersonalia dicuntur, quae personam certam nominativo casu in indicativo non recipiunt, sed mutatur nominativus personae in obliquos, ut quod Germanice personaliter dicimus, Ich mus Virgilium aussen lernen, Latine impersonaliter effertur, Oportet me ediscere Virgilium.

Sunt autem duplicia impersonalia: alia passivae vocis, alia activae. Habent autem omnia casum tertiae tantum personae.

Passivae vocis impersonalia fiunt ab omnibus verbis activis et neutris, ut docetur, scribitur, legitur. Virgilius [Ecl. 1, 12.]: Usque adeo turbatur agris.

Et Germani habent hoc genus impersonalia, Sic enim efferunt, Legitur, man list, Dicitur, man sagt. Ex his figuris Germanici sermonis, facile intelligent pueri naturam horum verborum, sentientque nullam certam personam impersonalibus praeponi.

De constructione autem in Syntaxi dicemus. Coniugatio sequitur characterem passivorum. Recipiunt autem tantum terminationem tertiae personae.

Activae vocis impersonalium certus numerus est: Est, interest, refert, accidit, contigit, evenit, vacat, praestat, restat, iuvat, constat, sufficit, placet, libet, conducit, expedit, liquet, licet, decet, oportet, taedet, miseret, piget, pudet, poenitet, solet, potest.

In his quaedam et personaliter usurpantur, quaedam plane non recipiunt personalem vocem. Non enim oporteo, pudeo, poeniteo dicimus. Sunt hoc genus verba impersonalia certa in omnibus linguis, ut apud Graecos *δεῖ, χρῆ*.

Coniugatio imitatur personalium regulas, ut, vacat, vacavit. Nam tertiae tantum personae casum habent, Placet, placuit, Pudet, puduit, Oportet, oportuit. Est enim ut character praeteritorum secundae coniugationis. Sed a liquet non extat praeteritum, a taedet fit pertaesum est, a miseret misertum est. Sunt in usu et placitum est, libitum est, puditum est, licitum est, apud Plautum in Bacchidibus. Et pigitum est, apud Statium: Nec pigitum est, parvosque lares humilesque subire.

Impersonalia supinis et gerundiis carent. Est autem in coniugando in universum usus

etiam doctorum observandus, nam saepe non utimur casibus, quos analogia parit, ut, dor²⁶⁾ non dicimus.

DE PARTICIPIO.

Participium est nomen verbale, significans tempus. Nam per omnia imitatur nomen in declinatione et genere. Sed a verbo, unde cadit, tempus mutuatur, et certam significationem agendi vel patiendi. Elegans genus vocum est, si commode utaris. Nam foelicus pleraque et magis signate efferimus per participia, quam per verba, ut cum dico: Furor fit, laesa saepius patientia, non paulo gratius est, quam si dicas: Patientiam, si saepe tentetur ac laedatur, furorem fieri. Includit enim participium relativum vel particulas, dum, si, cum verbo.

Participio accidunt:

Genus, Numerus, Figura, Casus, Tempus, Significatio:

Genus ex regulis de nomine cognosci potest. Nam omnis generis sunt ea, quae ns finiunt, ut legens. Caetera mutant genera per terminationes, more adiectivorum, ut hic lectus, haec lecta, hoc lectum.

Casus iidem, qui in nomine. Et formulae declinationis apud Donatum extant.

Figura, simplex, ut spirans; Decomposita, ut respirans. Nam nulla sunt composita participia, nisi ex verbis compositis.

Tempus ex formatione cognoscitur.

Praesens vocum est ns finientium, fitque a praesenti verbo.

Futurum vocum est urus et andus vel endus finientium, fitque a supino futurum in rus.

Caeterae voces significant praeterita, fiuntque a praeteritis.

Significatio. Ea vero pueris in primis observanda est, ut discant, quae active, quae passive significant, qua in re saepe²⁷⁾ videmus peccare imperitos.

Active significant, quae ab activis cadunt. Nam participium imitatur sui thematis significationem.

26) dor] Ed. 1546.: dor et for; Ed. s. a.: dor et stor

27) saepe] Editt. 1546., s. a.: saepius

Porro ab activa voce duplicia veniunt participia, Praesens in ns, ut legens. Futurum in urus, ut lecturus, atque haec active significant.

A neutris cadunt similia participia, ea suorum verborum significationem imitantur²⁸⁾.

A passivo item duplicia, Praeteritum, ut lectus, Futurum, ut legendus, eaque passive significant.

Fiunt a neutris passiva participia, sed ab his tantum, quorum tertiae personae passive usurpantur, ut, aratur terra. Hinc arata et aranda terra. Sic Virgilius: Arte laboratae vestes. Errata littora. Sic decurso spatio. Est et illud dictum *καταχρηστικῶς*:

Quae venit indigne poena dolenda venit.

Item:

Virque mihi dempto fine carendus abest.

A deponenti triplicia, Praesens, loquens; Praeteritum, locutus; Futurum, locuturus. In his sunt et futura in dus, cum videlicet verbum passive significat, nam rus est activae significationis, ut, sequendus, utendus.

A communibus quadruplicia, Praesens criminans; Praeteritum criminatus, Futurum activum, criminaturus, Passivum futurum, criminandus.

Admonuimus autem supra, veteribus plura fuisse communia verba, quam nobis. Hinc participia extant, mentita tela, meditata omnia, expertae virtutis, passiva significatione, quod verba horum olim communia fuerint.

Sunt et anomala participia, vel potius *ἀδέσποτα*, quae non habent verba certa, ex quibus formentur.

Iuratus active, significationem aoristi Graeci habet *ὀμόσας*.

Exosus et perosus, active significant, ut Graecum aoristum *μῆσας*, ut Ovidius [Met. I, 483.]: Taedas exosa iugales. Et Virgilius [Aen. VI, 435.]: Lucemque perosi. Est et osurus apud Ciceronem de amicitia [16, 59.]: Negabat ullam vocem inimiciorem amicitiae potuisse reperiri, quam eius, qui dixisset, ita amare oportere, ut aliquando esset osurus.

Personalia verba fere omnia ex se parant participia. Sed est tamen observandum, quid

usus probet, nam fiens, iens, fiendus, nascentus aut natus a nascor nemo dixit, at naturam dicimus.

A Sum tametsi veteres fecerint ens, sicut Graeci *ἔν* ab *εἰμί*, tamen ipsi, tanquam absurdum repudiarunt, at inde futurus participium extat.

Ab impersonalibus, quae non recipiunt voces personalium, nulla extant participia, praeter pudendus, poenitendus et pertaesus, decens, libens.

Neque hic praetereundum est, degenerare participia in nomina, vel compositione, ut indoctus, nam indoceo non dicitur, aut amisso verbi casu, ut, fugitans litium, cupiens pecuniae. Nam participia regunt verborum casus, at cum in nomina degenerant, genitivos adsciscunt, ut, amans praeceptoris discipulus. Eaque comparantur, et casus comparisonis recipiunt, ut, nemo est me amantior praeceptoris.

Similia participiis sunt tunicatus, personatus, obaeratus, et similia, sed ea²⁹⁾ sunt nomina. Nam nec ex verbis nascuntur, et tempus non significant.

In bundus nomina sunt, tametsi Livius casum participii addiderit voci concionabundus, in tertio libro primae decados [c. 47.]: Haec concionabundus circuibat homines.

DE ADVERBIO.

Adverbium vocarunt, quod actionis aut passionis circumstantiam una voce effert, ut, dicit graviter, venit propere. Ideoque adverbium vocarunt, quod verbo circumstantiam adiiciat.

Accidunt Adverbio³⁰⁾:

Species, Significatio, Figura, Comparatio.

Species duae, Prima et Derivatorum.

Prima eorum est, quae non aliunde nata sunt, ut cras, heri, pax, id est, tantum.

Derivata³¹⁾ sunt, quae cadunt aliunde, ut, vesperi, quod est a nominis dativo, furtim³²⁾ a verbo furor, strictim a verbo stringo, Home-

29) ea] Editt. 1546., s. a.: haec

30) Accidunt Adverbio:] Editt. 1546., s. a.: Adverbio accidunt.

31) Derivata] Ed. s. a.: Derivativa

32) furtim] Ed. 1546. alternis, furtim; Ed. s. a.: alterae, furtim

28) ea suorum — imitantur.] Editt. 1546., s. a.: imitantur et haec suorum verborum significationem.

rice ab Homero, humanitus et humaniter. Quaedam enim varie efferuntur. Saepe autem et nomina genere neutro fiunt adverbia, ut, infans recens natus, et Graece: torvum clamat³³).

Significationis multa capita sunt, cuius vim ita recte poterit pervidere puer, si cogitabit illam varietatem significationis ex varietate circumstantiarum in actionibus nasci. Nam tempus, locus, quantitas, qualitas etc. nihil sunt, nisi actionum circumstantiae. Et quia Donatus probe percensuit capita significationis, a nobis nihil attinet repeti³⁴).

Tantum hoc monendos putabam pueros, ut diligenter observent naturam localium adverbiorum, quae in loco, quae ad locum, quae de loco significant. Nam ea in re nonnunquam peccatur.

In loco significant, hic, illic, istic, ibi, ubi, ubicunque, ubique, ubivis, alibi, intus, foris, supra, droben, infra, drunden. Tibullus lib. I. eleg. 10. [vs. 35 sq.]:

Non seges est infra, non vinea culta, sed audax
Cerberus, et Stygiae navita puppis aquae.

Ad locum, huc, illuc, istuc, eo, quo, aliquo, nequo, siquo, quocunque, intro, foras. Huc pertinent, quae et versus locum significant, ut, introrsum, retrorsum, sursum, deorsum, quorsum, laevorsum, dextrorsum. Sunt autem composita a versus, quod videtur habere adverbii significationem. Nam et praepositionem aliam permittit nomini adiungi, ut Plinius lib. 6. cap. 32. Ad occasum versus. Et Caesar sine praepositione: Massiliam versus.

De loco, hinc, illinc, istinc, inde, unde, alicunde, coelitus, funditus, radicitus, inferne, superne, quod vulgus dicit desuper. Plinius: Argentum innatat superne, sicut oleum aquae, id est, desuper.

Per locum, hac, illac, istac, nequa, siqua.

Inter localia numerant etiam hos casus: domi, militiae, humi, ruri.

Item, propria nomina locorum, Romae, Romam, Roma, nos inter nomina relinquimus, deque constructione eorum suo loco dicemus. Observabunt autem pueri, nonnunquam localia

³³) et Graece: torvum clamat.] Editt. 1546., s. a.: et torvum videt, pro torve, hoc modo Graeci saepe adiectiva neutra mutant in adverbia.

³⁴) a nobis — repeti.] Editt. 1546., s. a.: non est opus hic ea repetere.

tempus significare, ut, ibi pro tum saepe accipitur.

Usque et temporibus et locis accommodatur, et additur vocibus alias de loco, alias ad locum significantibus, ut Cicero: Usque ad Numantiam misit. Et Terentius: Ex Aethiopia usque est haec. Et pro Archia: Inde usque a prima pueritia repetens.

Non adsciscunt nominum casus adverbia, ideoque scripserunt veteres Grammatici, degenerare in praepositiones adverbia casum recipientia, ut pridie, quod priorem diem significat, alias genitivum, alias accusativum adsciscit, ut Cicero ad Lentulum: Pridie eius diei fregeramus. Et pridie nonas lunias, ad Appium, et ad Atticum: Pridie compitalia. Postridie est postero die, genitivum et accusativum adsciscit.

Figura.

Simplex, ut prudenter.

Composita, ut interdiu.

Decomposita, ut imprudenter.

Comparatio.

Adverbia orta a nominibus adiectivis, imitantur nominum comparisonem, et recipiunt in constructione casus comparativi et superlativi, fortiter fortius fortissime. Sic et quaedam alia, non nata a nominibus, saepe saepius saepissime. Nuper nuperrime, sine comparativo.

DE PRAEPOSITIONE.

Praepositio est propemodum articulus, verbo nomen adiungens, quod aliquam facti circumstantiam significat, ut, Non datur ad Musas currere lata via. Nam Musas non poterat addi verbo currere, nisi praepositio, ad, tanquam articulus, adiungeretur.

Accidit

Praepositioni Constructio, eaque fere ex Donato cognosci potest, sed est mira varietas significationis etiam in iisdem casibus, quam nos regulis complecti non possumus, usu legendi et scribendi discenda est, ut, aliud significat secundum, cum dico, secundum aurem vulnus accepit, aliud apud Suetonium in Augusto [c. 94.]: Ipsum esse, cuius imago secundum quietem sibi obversata sit. Aliud in Claudio [c. 15.]: Absentibus secundum praesentes facillime dabat. Eam varietatem usus docebit.

Aliae vero praepositionum verbis accusati-
vos adiungunt, aliae ablativos.

Accusativos XXVII.

Ad.

Ad calendas Graecas.

Apud.

Et bene apud memores veteris stat gratia
facti.

Ante.

Dicique beatus

Ante obitum nemo, supremaque funera debet.

Adversus.

Ne Hercules quidem adversus duos.

Cis.

Vuittembergae nobis cis Albim sita est.

Citra.

Ultra.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Intra³⁶⁾.

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, et intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Extra³⁶⁾.

Extra omnem ingenii aleam positus Cicero.

Circum,

Locale est, Circum montem.

Circa.

Circa forum, circa viginti annos.

Circiter.

Tempus et numerum significat,
Circiter horam undecimam.

Contra.

Contra stimulum calces.

Erga.

Princeps erga populum clemens.

Inter.

Multa cadunt inter calicem supremaque
labra.

Infra.

Quem ego infra omnes homines esse puto.

Supra³⁶⁾.

Droben, Dux hostium cum exercitu supra
caput est.

Iuxta.

Cum lucubrando iuxta ancillas lanam faceret.

Ob.

Foeda mors ob oculos erat.

Per.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare, pauperiem fugiens, per saxa, per
ignes.

Prope.

Id etiam comparatur. Livius: Castra pro-
pius hostem movit. Et Cicero: Operam det, ut
cum suis copiis quam proxime Italiam sit.

Praeter.

Ita fugias, ne praeter casam, Terentius
[Phorm. 5, 2, 3.].

Propter.

Aliquid mali propter vicinum malum.

Post.

O cives cives, quaerenda pecunia primum,
Virtus post nummos.

Penes.

Me penes est unum vasti custodia mundi.

Secundum.

Secundum Deos homines hominibus maxime
utiles esse possunt.

Trans.

Coelum, non animum, mutant, qui trans
mare currunt.

Ablativos XIII.

A.

A Iove principium Musae, Iovis omnia plena.

Ab.

Hac utuntur sequente vocali.
Ab alio expectes, alteri quod feceris.

Abs.

Abs quisvis³⁷⁾ homine beneficium accipere
gratum est.

Absque.

Terentius [Phorm. 1, 4, 11.]: Absque eo esset.

35) Intra et Extra cum dictis exempli causa adscriptis in
Ed. s. a. non h. l., sed post Erga afferuntur.

36) Supra cum exemplo addito in Ed. s. a. non h. l., sed
post Penes legitur.

37) quisvis] Ed. s. a.: quovis.

Cum.

Dammum appellandum est, cum mala fama lucrum.

Clam.

Clam patre, et Plautus: Clam patrem.

Coram.

Coram senatu acta res.

De.

Alter rixatur de lana saepe caprina.

E.

Qui, falsum testimonium dixisse convictus erat, e saxo Tarpeio deiiciebatur, Gellius [XX, 1.].

Ex.

Ex malis moribus bonae leges natae sunt.

Pro.

Comes facundus in via pro vehiculo est.

Prae.

Huic aliquid prae manu dederis, unde utatur.

Sine.

Nulla dies sine linea.

Tenus.

Iulius Caesar tertium et quartum consulatum titulo tenus gessit. Graecum est, crurum tenus. Nam et in ea significatione Latini ablativo utuntur, ut, Capuloque tenus ferrum impulit ira.

Quatuor praepositiones et accusativum et ablativum recipiunt, sed fere diversa significatione.

In,

Accusativum, cum motum ad rem significat, ut Horatius [Ars poet. 31.]: In vitium ducit cul-pae fuga, si caret arte. Terentius [And. II, 6, 11. 17.]: In rem utrique est maxime. Et pro contra. Cicero in Antonium invectus est.

Cum in re versari significat, ablativum adsciscit³⁸⁾, ut Ovidius [Trist. I, 5, 25 sq.]:

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,

Tempore sic duro est experiunda fides.

Veteres in hac etiam³⁹⁾ significatione Graeca consuetudine usi sunt cum accusativo, ut apud Terentium: Ubi videt me esse in tantum honorem [Eun. II, 2, 29. ^{39a)}], pro, in tanto honore.

38) Cum — adsciscit.] Ed. s. a.: Ablativum adsciscit, cum in re versari significat,

39) etiam] in Ed. s. a. deest.

39a) in tantum honorem] sic h. l. ediderunt Iuntae, Rob. Stephanus, Fabrini alique; conf. annot. crit. in Ed. Biont. ad h. l.

Sub,

Cum tempus aut motum ad rem significat, accusativum requirit. Virgilius [Georg. III, 402.]: Sub lucem exportant calathis, id est, circiter.

Virgilius in IV. [Aen. vs. 387.]:

Audiam et haec manes veniet mihi fama sub imos⁴⁰⁾.
Sub⁴¹⁾ horam pugnae tam arcto repente somno devictus.

Cicero non dissimili significatione ad Plancum scripsit: Sub eas statim tuae recitatae sunt. Et de loco. Cicero de Oratore: Ea quae sub oculos ipsa non cadunt.

Ablativo coniungitur, cum versari in loco significat, ut, sub dio. Et Virgilius [Aen. III, 431.]: Vasto vidisse sub antro.

Super,

Drauff, item ad locum significans, accusativum requirit⁴²⁾. Suetonius [in Aug. c. 43.]: Super se collocavit.

Cum situm significat in loco, accusativo et ablativo coniungitur. Virgilius [Ecl. I, 81.]:

Fronde super viridi.

Et [eiusd. Aen. VI, 239 sq.]:

Quam super haud ullae poterant impune volantes,
Tendere iter pennis.

Livius: Quatriduum super rupem absumptum.

Significat et praeter. Suetonius in Claudio [c. 26.]: Super caetera flagitia.

Et de, ut, [Virg. Aen. I, 750.]: Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

Et inter, ut, Super coenam, pro: inter coenandum.

Subter⁴³⁾.

Eadem est et particulae subter constructio, apud Livium: Est subter terram, Apud Virgilium: Densa super testudine.

Cum amittunt praepositiones casum, fiunt adverbium, ut apud Salustium [Catil. 2, 8.]: Sed multi mortales dediti ventri atque somno, indocti

40) Virgilius in IV. — imos.] hic versus, quem Editt. 1546, s. a. recte hoc loco afferunt, in Editt. 1526., 1529. male infra sub praepos. Super, ad quam minime pertinet, exhibetur.

41) Sub] Editt. 1526., 1529., versum praeced. h. l. omitteres, habent: In eodem: Sub

42) requirit.] huic verbo et subsequentibus in Editt. 1526., 1529. interpositus est ille versus Virgilii Aen. IV, 387. (vide notam 40.).

43) Haec inscriptio ab Editt. 1526., 1529., 1546. abest.

incultique, vitam, sicut peregrinantes, transe-
gere, quibus profecto contra naturam corpus vo-
luptati, anima oneri fuit, eorum ego vitam mor-
temque iuxta aestimo. Nam ibi iuxta, amisso
casu, similiter significat. Ita multis post seculis.
Virgilius [Ecl. 1, 30.]: Longo post tempore veni.

Palam et Pone in adverbis numeramus,
quod fere sine casu ponantur. Sic Usque et Ver-
sus. Secus⁴⁴⁾ non usurpant docti, nisi pro aliter,
adverbii significatione. Cicero pro Plancio: Cuius
ego salutem non secus ac meam tueri debeo.

DE CONIUNCTIONE.

Coniunctio est, quae subinde superioribus
sententiis alias annectit, ut, Nox et amor, vi-
numque nihil moderabile suadent. Nam huic
sententiae, nox nihil moderabile suadet, con-
iunctio annectit amorem et vinum. Multum haec
pars orationis conducit ad recte connectendam
orationem, quare natura particularum huius ge-
neris diligenter excutienda est.

Accedunt

Coniunctioni tria: Figura, Potestas, Ordo.

Figura simplex, ut nam. Composita, nam-
que.

Potestas significatio est. Sunt autem septem
species:

Copulativa, et, que, quoque, ac, atque,
etiam, simul, tum⁴⁵⁾, ut: Cum ego, tum alii ad-
erant. Sed Ac, collationem aliquando significat,
Aliud mihi respondes ac rogo.

Disiunctivae, ve, vel, aut, sive, seu.

Adversativae, at, sed, ast, verum, vero,
porro, atqui, tamen, quanquam, quamvis, etsi,
licet, licebit, saltem. Nam haec diversam sen-
tentiam superiori subiiciunt, ut apud Ovidium
[Ep. ex Ponto I, 9, 39 sq.]:

Si modo non census, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos ingeniumque facit.

Prior sententia est, nobilitatem non in censu aut
maiorum imaginibus esse positam, adversa subi-
citur particula, sed, in probitate et virtute sitam
esse nobilitatem. Ad hunc ordinem Imo perti-
net, corrigendi particula, ut apud Terentium

[Heaut. 1, 1, 42.]: Quid dixi habere me? imo
habui.

Causales, nam, namque, enim, etenim, quia,
quoniam, quando, quandoquidem, si, siquidem,
nisi, ni, enimvero. Eaque particula nonnun-
quam affirmativa est, ut [Terent. And. 1, 3, 1.]:
Enimvero Dave, nihil loci est segnitiae.

Huc pertinent etiam concedendi et prohi-
bendi particulae. Ut, Iubeo ut venias. Ne,
Quaeso ne facias. Sunt enim et aliae signifi-
cationes harum vocum, ut apud Virgilium [Ecl. 8,
41.]: Ut vidi, ut perii, quas in Syntaxi perseque-
mur⁴⁶⁾.

Collectivae⁴⁷⁾, ergo, ideo, igitur, idcirco,
quapropter, proinde, quamobrem. Hae enim
conclusionem rationi praepositae⁴⁸⁾ accommo-
dant: Nihil est homini utilius scientia literarum,
sunt igitur magno studio discendae literae.

Ordinis, insuper, postea, posteaquam, dein-
ceps, deinde. In hac significatione; Ut, nonnun-
quam usurpatur⁴⁹⁾.

Approbativae, quidem, equidem, ut, Discit
litteras, et strenue quidem.

Completivas vocantur grammatici, quod
nulla significationis necessitate, sed ornatus gra-
tia inseruntur orationi, sicut Graecis μέν, δὲ.
Sed mihi interesse aliquid videtur inter Graecas
illas, et particulam Quidem, habetque ea plane
approbandi significationem. Cicero de amicitia:
Qui autem in virtute summum bonum ponunt,
praeclare illi quidem, sed haec ipsa virtus amici-
tiam et gignit et continet.

Ordo.

Quaedam sunt praepositivae, ut nam, quare,
ideo, etenim, at, ast, nec, si, quin, nisi, seu.
Non enim recte dixeris: Est nam bonus vir, sed:
Nam est bonus vir.

Quaedam postpositivae, ut enim, autem,
quoque, vero. Rectum est: Est enim bonus vir.
Non est rectum: Enim est bonus vir. In his
sunt, quae ἐπιτιμικαὶ dicuntur, id est, quae
suum tonum reiciunt in finem dictionis, cui ad-

46) ut apud Virg. — persequemur.] in Ed. s. a. hoc quidem
loco desunt (vide notam 49.).

47) Collectivae,] Ed. 1546. Ratiocinativae, Ed. s. a.: Ra-
tionativae,

48) praepositivae] Ed. s. a.: praepositivae

49) Editt. 1546., s. a. hoc loco addunt illum Virgillii ver-
sum Ecl. 8, 41.: Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit
error.

44) Secus] sic Editt. 1546., s. a.; Editt. 1526., 1529. et
secus

45) tum.] Ed. s. a.: cum, tum.

haerent. Ideoque *ἐγκλιτικαὶ* dicuntur, ab inclinato tono in extremam syllabam proximae vocis. Sunt autem, que, ne, ve, ut apud Horatium [Ars poet. 379 sq.]:

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilae, discive, trochive quiescit.

Quaedam indifferenter praeponuntur et postponuntur, ergo, igitur.

Adhibebunt igitur pueri in loquendo hanc curam, ne quid in collocandis coniunctionibus peccent, et bonorum autorum exempla hac in re studeant imitari.

DE INTERIECTIONE.

Interiectio propemodum non est dicitio, sed tantum sonus inconditus, animi adfectum significans.

Significant autem aliae admirationem, ut, papae.

Aliae dolorem, ut hei, heu, ah, proh dolor. Aliae metum, ut atat.

Aliae indignationem, ut o, proh Iupiter etc.

Suppeditabit plures etiam species lectio auctorum, quas, cum in infinitum paene pateant, nihil attinet hic recensere. Est autem parce in loquendo utendum hoc vocum genere.

ADDENDA.

In Prolegomenis p. 243 sq. inter libros grammaticos, quos Melanthon praefationibus instruxit, etiam Aelii Donati *methodus* allatus est. Huius libri Editionem a. 1591. ex Biblioth. acad. Vratislav. in manibus habeo, quam h. l. breviter describam:

Aelii Donati methodus, seu Declinandi coniugandique prima elementa, pro pueris Alphabetarijs, rerum Grammaticarum prorsus ignavis. Diligentiori cura avac primum concinnata. Cum epistola Philip. Melanth. (Effigies Melanthonis lineis rectis inclusa) Lipsiae. M. D. XCIX. — (In fine:) Lipsiae, Typis Haeredum Berwaldi (Insigne typogr. Berwaldi: Sylva cum ursu) Excudebat Iacobus Gubisius. Anno M. D. IC. 14 plagg. litt. A—O sign., 112 foll. non num., 8. min. (fol. A 2^a Carmen ad filium Georgium; fol. A 2^b—3^b Phil. Melanthonis epistola ad Georgium Rhau, Georgii filium; fol. A 4^a—5^b Hypodidascalorum Torgensium epistola ad Geogium Rhau, Typographum Witebergensem, data Torgae Cal. Septemb. 1533.; fol. A 6^a—O 7^b Aelii Donati Methodus; fol. O 8^a Clausula cum Insigni; fol. O 8^b vacat).

Melanthonis epistola, ut iam supra dixi, in huius Corp. Vol. II. p. 207 sqq. inter epistolas anni 1533. recusa est. Carmen vero ei praecedens, quod item sine dubio Melanthonis est, inter eius Carmina in huius Corp. Vol. X. non invenitur, quapropter h. l. adscribatur:

Ad filium Georgium.

En dilecte novum dono tibi nate libellum,
Qui poterit studiis utilis esse tuis.
Hunc tu, si qua manet chari tibi cura parentis,
Perlege sollicita nocte dieque manu.
Invenies illic, quod te didicisse iuvabit
Olim, ubi iam firmo corpore maior eris.
Nec te poeniteat pueriles discere formas,
Quas pueris scriptas continet iste liber.
Nam quia tu puer es, puerilia discere debes,
Quae non sunt annis inferiora tuis.
Inde ubi te Christus studia ad maiora vocabit,
Ingenii pueris qui dator esse solet:
Maiores disces cura maiore libellos,
Maiorique tuus pulvere curret equus.
Interea haec discas primis rudimenta sub annis,
Consultum studiis si cupis esse tuis.
Vive, valeque diu, coeptoque incumbere labori,
Sic puer aeterno nomine clarus eris.